



DISSERTATIO ASTRONOMICO PHYSICA
INAUGURALIS
DE
MOTU PLANETARUM IN
ORBITIS ELLIPTICIS,

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. BERNARDI SIEGFRIED ALBINI,
MEDICINAE DOCTORIS, ANATOMES ET CHIRURGIAE
IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSO-
RIS ORDINARI:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, &
Nobilissimae FACULTATIS PHILOSOPHICAE Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS
ET MAGISTERII,

Summisque in PHILOSOPHIA & ARTIBUS LIBERALIBUS hono-
ribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Publico ac solemni Examini subiicit

JOANNES OOSTERDYK SCHACHT,
Lugduno Batavus.

Ad diem 26 Septembris hora ab 8 ad 10 loco solito.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS.

33
A

ILLUSTRISSIMIS ET NÔBILISSIMIS

VIRIS

ACADEMIAE LUGD. BATAVAE

CURATORIBUS,

D. D. ALBRECHTO NICOLAO,
BARONI DE SCHAGEN,

DOMINO IN GOUDRIAAN ETC. ETC. NO.
BILITATIS EQUESTRIS HOLLANDIAE MEM-
BRO. COMITIVORUM HOLLANDIAE ET
WESTFRISIAE DOMINIORUM MAGISTRO
ET RATIONALI PRIMO. JUDICII VENATO-
RII AC PRAEFECTURAЕ RHENOLANDICAE
ADSESSORI. SOCIETATIS INDICAE ORIEN-
TALIS APUD HORNANOS ET ENCHUSANOS
DIRECTORI ETC. ETC.

D. D. HERMÂNNO VANDEN
HONERT J. C.

APUD DORDRACENOS SENATORI ET CON-
SULARI, NEC NON AGGERUM ALBLAS-
SERWAARDENSIMUM COMITI ETC. ETC.

D. D. CORNELIO VAN
VALKENBURG J. C.

HARLEMENSIS CIVITATIS SENATORI, MO-
DO PRAETORI SUPREMO, NUNC CONSU-
LI, PRAEFECTURAЕ RHENOLANDICAE AD-
SESSORI ETC. ETC.

EORUMQUE COLLEGIS
VIRIS SPECTATISSIMIS ET AMPLISSIMIS
REPUBLICAE LUGD. BATAVAE

CONSULIBUS,

D.D. CONRADO RUISCH J. C.
COSS. H. T. PRIMARIO ETC. ETC.

D.D. NICOLAO VAN BANCHEM J.C.
ETC. ETC.

D.D. AEGIDIO VAN DER MARK,
ETC. ETC. CONSANGUINEO SUO.

D.D. THEODORO VAN
GROENEVELT J. C.
ETC. ETC.

UT ET
VIRO CONSULTISSIMO
D.D. DAVIDI VAN ROYEN J. C.
ETC. ETC. ILLUSTRI CURATORUM ET
COSS. CONSESSUI A SECRETIS.

*Hancce Dissertationem in devoti
animi texmu'eova, qua par est,
reverentia inscribit*

JOANNES OOSTERDYK SCHACHT.



DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA
INAUGURALIS,
DE
MOTU PLANETARUM IN
ORBITIS ELLIPTICIS.

, §. I.

Inter plurima, quibus corporum coelestium motus explicare conati fuerunt veteres, systemata ^a eminuit in primis triplex Ptolemaicum, Copernicatum, & Tychonicum, quorum quidem primum tertiumque ab auctoribus sua sortita sunt nomina, alterum vero ab instauratore; cum enim hocce jam dudum *Aristarchus Samius, Seleucus, Pythagoras* ejusque sequaces excolluisserint, tantum tamen valuit Peripateticorum auctoritas, ut diu quasi in Democriti puto latuerit, neque ullum praeter Ptolemaicum veram motuum coelestium causam reddere creditum fuerit. Ea tamen nostrorum temporum fuit felicitas, ut Pythagorici systematis tutelam suscipere, illudque publicis ictis adserere veritus non fuerit *Nic. Copernicus Toriensis*, quem secuti fuerunt Astronomorum tum temporis plurimi, & sane fuissent omnes, nisi Romanensis Ecclesia immerito illud sacris contrariari literis credens auctoritate sua, quae tunc temporis erat maxima, tantum effecisset, ut ab-

A jura-
a Ricciol. Almag. nov. l. 9. sect. 3. c. 2. & seqq.

2 DISSERTATIO ASTRONOMICO PHYSICA

jurare eam, qui secuti fuerant, sententiam cogerentur omnes, quod mirum & deplorandum sane illud illuistrissimi nec nisi optima quaevis meriti *Galilaei* docet exemplum^b; Nostri vero aevi Philosophi ex nullius, quisunque demum ille fuerit, auctoritate, sed ad purae & defoecatae rationis normam, ac observata sensibus Phaenomena sapere edocti, tanquam legibus naturae ipsisque observationibus (variis scilicet praeter alias Mercurii Venerisque phasibus) adversum Ptolemaicum systema rejecerunt, neque Tychonicum (paucos quosdam exceperis) admirerunt, quod quidem tantum non omnibus Phaenomenis satisfacit, at simplicissimis tamen & generalibus, quas sibi sapientissimus universi conditor ponere voluit, legibus repugnat: Copernicanum vero illud, cui per impleta Telescopiorum ope ipsius *Copernici* circa Mercurii Venerisque phases vaticinia^c haud parum accessit ponderis, ambabus ulnis avidissime amplexi sunt & amplectuntur hodie dum, quotquot amore veritatis ducti in magistrorum verba jurare pro dedecore habent; sic ut summum illud patriae nostrae decus, cui ob infinita, quae rei Astronomicae Physicaeque attulit, emolumenta rotus adsurgit Astronomorum chorus, *Christianus Hugenius* publicè confiteri non erubescat, omnes nunc Astronomos nisi vel tardiore fuerint ingenio, vel hominum imperio obnoxiam habeant credulitatem, motum telluri, locumque inter planetas absque dubitatione decernere^d. Nos quoque huic sententiae calculum nostrum adjicere non veriti in sequentiibus nostrae telluri simul cum reliquis planetis tam motum circa Solem quam circa axem adscribemus; unde, quum in hacce dissertatione (quae si minus consona, nec nisi ab aliis prius dicta contineat, veniam pro auctore expetit) vulgato tam Copernicanorum quam Tychonicorum aliorumque locundi more Soli motum adscribimus, id de tellure intellecimus volumus.

§. II.

^b Galil. *Galilaei Syst. Cosm.* p. 488. & seqq.

Vid. quoque Joh. Alph. Borelli *de motu anim.* tom. 1. praef. & Varenii *Geograph. gener.* c. 5. p. m. 33.

^c Keil. *introd. ad Astron.* l. 15. p. 334.

^d *Cosmoth.* l. 1. p. m. 651.

§. II. Quicunque serena quadam nocte, fugatis nubibus, erectos ad sidera vultus tollere, coelumque tueri non deditur, innumera, ceu totidem divinae sapientiae manifesta industria, conspiciet luminaria; horum plurima eundem inter se situm servantia, majora, minora, clariora, minus clara, micantia valde & scintillantia *stellae* vocantur *fixae*, & quidem fixae ideo, quia eandem inter se positionem retinent semper, licet enim distantiam suam ab intersectione plani Aequatoris cum plano Eclipticae mutare videantur, ita ut, quae in primo Eclipticae dodecatomero Hipparchi tempore apparebant, jam in secundo obseruentur; tamen eandem a se invicem distantiam servare conspicuntur, sic ut quae stellae a se mutuae v. g. 20 gradus remotae sint, tanto spatio distiterint semper, & distitutae sint, quamdiu natura eisdem, quibus huc usque fuit usus, leges obseruat. Praeter haec, quae innumera esse diximus (nudo namque oculo observari possunt ultra mille^e, Telescopiorum vero ope decuplo vel & vigecuplo plures deprehenduntur, ex quibus in nostro tantum haemisphaerio conspicuis trium millium catalogum dedit insignis ille Anglus Astronomus *Flamsteedius*^f) dantur quoque alia quaedam corpora, quorum lux minus vegeta & vivida observatur, quaeque stellis fixis longe minus scintillant, diametros tamen apparentes multo maiores habent, quaeque non semper eodem intervallo & a se & ab iisdem stellis distant, haec luminaria ad distinctionem priorum *stellae* vocantur *Erraticae* vel & vulgari nomine *Planetae* απὸ τῆς πλανῆδης id est, errare, vagari seu ἀπὸ τῆς πλανῆς id est error^g, quin &c, auctio- re denominationis *Negidio*, *Errones* vocantur, *Gellio*^h teste.

§. III. Hi *Planetae*, qui numero sex deprehenduntur (Lunae enim considerationem differo ad §. 5.) *Saturnus*, *Jupiter*, *Mars*, *Sol* vel potius *tellus nostra* (confer §. 1.) *Venus* & *Mercurius* simul cum omnibus stellis fixis quotidie moveri videntur ab ortu in occasum, & quidem ita, ut motu suo

A 2

vi-

^e Whiston, prael. Astron. p. 23. n. 7.^f Keil introd. ad Astron. ver. l. 6. p. m. 259.^g Serv. ad Virgil. 10. Aeneid. v. 216.^h Noct. Att. l. 3. c. 10. l. 14. c. 1.

4 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

videantur describere circulos aequatori paralelos: variat tamen hic motus; quaedam enim stellae majores, aliae minores circulos describunt, prout nempe vel a Polo remotores vel eidem fuerint viciniores; quaedam supra Horizontem attolluntur semper, aliae nunquam non deprimuntur; quaedam nunc supra Horizontem oriuntur, nunc infra eum occidunt; hic autem motus, ut dixi, & planetis & stellis fixis communis est; non enim est motus quidam ipsis coelestibus corporibus inhaerens, ut male putavit antiquitas & parvus recentiorum numerus; sed tantummodo est apparenſ, ortus ex motu telluris circa axem ab occasu in ortum, cuius axeos extremitas cum sit aequatoris polus, hinc circuli descripti eidem sunt paraleli: hoc certè statuere longe concinnius est, quam totum id universum adeo magnum vastumque circa parvulam illam telluris massulam velocitate ineffabili moveri, cum hoc Phaenomenon via simplicissima, quam natura affectat semper, possit explicari: praeterquam quod id ipsa confirmet analogia; namque omnes fere Planetae (Mercurium & Saturnum exceperis; in hoc enim ob magnam a Sole distantiam, in illo ob summam viciniam id observari non potuit) reperti sunt circa proprium axin moveri; quidni itaque & tellus nostra planetis tantum non in omnibus similis? Ex hoc autem motu telluris ab occasu in ortum circa suum axin necessario debet oriri apparenſ ille stellarum, totiusque coeli in partes contrarias ab ortu scilicet in occasum translatio; si quis enim navi vehatur, & quidem ita, ut a meridie septentrionem versus cursus navis dirigatur, corpora extra navem posita ipsi a septentrione in meridiem tendere apparebunt, prout ipsa rei natura & quotidiana experientia abunde confirmant.

§. IV. Ex hoc (§. 3.) motu, quem diurnum, primum, communem, item motum primi mobilis vocare amant Astronomiⁱ, est & alijs ipsis planetis proprius in hac in primis dissertatione a nobis considerandus; si enim quis observet planetam quempiam certa cum stella certo tempore Meridianum aliumve verticalem circulum attingere, sequenti nocte obser-
vabit

ⁱ Wolf. elem. Astron. p. 375.

vabit planetam non eodem tempore sed serius quam ipsum fidus ad eundem locum pervenire (nisi forte planeta fuerit stationarius aut retrogradus, cuius variationis, quandoquidem in se nulla est, sed tantum dependet a vario planetae respectu telluris situ, neque, immotâ tellure, observari posset, hic rationem omnino nullam habemus) quae quidem temporis differentia in omnibus planetis non est eadem; maxima enim est, ceteris paribus, in Mercurio, deinde in Venere, minor in Marte, longe minor in Jove, minima denique in Saturno; ex quibus appetet, quod praeter motum ab oriente in occasum (§. 3.) alio adhuc, eoque penitus contrario gaudent, quo ab occasu in ortum feruntur, sive in consequentia, ut vocant Astronomi, vel secundum ordinem signorum, quo motu describunt curvas, non ut in primo motu (§. 3.) aequatori paralelas, sed eundem in binis locis secantes (& hinc planetae bis in aequatore conspicuntur) quarum centrum ex Systemate Ptolemaico est tellus nostra: ex Tycho-nico autem & vero seu Copernicano ipse Sol; hae autem curvae, quas hoc usque circulos vocare licet, non eadem ab omnibus celeritate percurruntur; inferiores enim Planetae superioribus, Mars Jove, Jupiter denique Saturno orbitas suas velocius peragunt, sic ut ex fidelissimis recentiorum observationibus antiquiorum longe certioribus sequenti lege a Sole distantes (agimus autem hic de distantiis mediis) sequenti quoque lege tempora sua periodica circa Solem conficiant; scilicet

Mercurius distans a Sole	387	spatio	87	dierum	23	horarum
Venus	- - - - -	723	- -	224	- -	17
Sol						
Vel potius						
Tellus	- - - - -	1000	- -	365	- -	5 - - 51
Mars	- - - - -	1524	- -	686	- -	23 - -
Jupiter	- - - - -	5201	- -	4332	- -	12 - -
Saturnus	- - - - -	9538	- -	10759	- -	7 - - 1

A 3

Ex

6 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

Ex quibus patet, id quod primo inventor *Job. Keplero* debemus, certam dari rationem inter revolutionis tempora & distantias planetarum a Sole medias, ita scilicet, ut quadrata temporum periodicorum cubis distantiarum sint proportionalia; quae regula ad confirmationem Copernicani systematis haud parum facit¹: Quemadmodum autem omnium planetarum distantiae & velocitates non sunt eadem, ita quoque diversa est orbitalium ad planum Eclipticae, seu circuli, quem Sol motu annuo describere videtur, inclinatio; quod tribus tantum verbis monuisse sufficiat^m.

§. V. Spectatis hisce progrediendum nobis foret ad motum horum planetarum curatus examinandum, nisi nova quaedam corpora, quae, unico excepto, antiquoribus penitus fuerunt ignota, detexissent hodierni, & hoc pacto novam pro extollenda divina sapientia suppeditassent materiam: non enim soli per immensum aethera ut incederent planetae summum voluit numen; sed regia maiestate conspicua haec corpora regio quoque ditavit satellitio: habet enim tellus nostra, habet Jupiter, habet Saturnus (de reliquis compertum non est) vicina sibi quaedam luminaria, quae longi itineris individui comites fidelium ministrorum instar heros suos deserunt nunquam: habet quidem tellus nostra unicum, fulgore, usque, quem terricolis praestat, omnium luminarium, Solem si excepis, praestantissimum, &, quamvis nobis maxime vicinum, tamen ob plurimas, quibus motus ejus scatet, irregularitates cognitu difficultimum (unde eleganter *subdita nulli haec tenus astronomo numerorum frena recusare ab Edm. Hallejo canitur*ⁿ) quod Lunam dicimus, primario suo in plurimis quam simillimum: Exornant enim hanc aequa ac tellurem nostram montes, quorum altitudinem (quid non mortalia pectora tentant?) metiri docent Astronomi & Geometrae, dicam an *Selenometrae*? qui demonstrarunt, reperiri ibidem unum altissimo nostro in insula Teneriffa monte triplo cel-

fio-

¹ Keil introd. ad Astron. l. 4. p. 246.

^m 's Graves. l. m. l.

ⁿ In carmine ad Newtoni Princ. Phil. Math.

INAUGURALIS.

7

fiorem ^o; habet valles, cavernas, neque maribus destituitur, neque ex observationibus Caffini & Atmosphaera, quod tamen negant alii ^q; ex qua cum tellure nostra convenientia ingeniosè, an satis certò judicent alii, conjecterunt, dicam an suspiciati sunt? & incolas ibidem dari ^r.

Non autem unica tellus nostra est, quae hoc satellitio superbit, sed Jupiter & Saturnus longe majori comitum cetera stipati incedunt; circa Jovem enim ad finem anni 1609 tres stellulas circumgyrantes, anno vero 1610 ^s 4 deprehendit Simon Marius Marchionum Brandenburgensium Mathematicus, quas & eodem tempore vidi & cum publico communicavit illustrissimus ille Lynceus Philosophus Galileus Galilei ^t, qui eas in honorem magni Florentiae ducis *Sidera Medicea* appellavit; praeter hos 4 nulli unquam satellites Joviales reperti sunt, licet Antonius Maria Schyrlaeus de Rhei^ata praeter hosce alios ^f observasse sibi visus fuerit, die 29 Decembris 1642, quos in honorem Urbani VIII. Pontificis Romanensis *Sidera Urbanoctaviana* sive *Ferdinando-tertiana* & *Agrrippina* vocavit: verum diligenti & exacta magni P. Gassendi observatione constitit, quod male has stellulas pro satelliti bus salutaverit de Rhei^ata, cum non sint planetae aut planetarum satellites sed revera stellae fixae Tycho^bni Brabeo jam notatae, quas male cum sideribus Mediceis confudit ^u. Saturnus vero Planetarum extimus longissimum iter conficiens maximam quoque satellitum cohortem nactus est. Cum enim tellus unicam, Jupiter quatuor, quae ipsis serviant, stellulas nactus sit, Saturnus quinque gaudet: quarum ordine quartam

^o Ricciol. Almag. l. 4. c. 8. Schol. r. p. 208.
Keil introd. ad Astron. l. 10. p. 295.

Gal. Galilei in nuncio fidereo p. 24. 25. 26.

^p Mem. Acad. Roy. des Scienc. 1706. p. 327.
Wolf. elem. Astron. p. 471.

^q Keil. l. m. l.

^r Hugen. Cosmooth init.
Galilei System. Cosm. p. 52. Dial. 1.
Wolf. elem. Astron. p. 472.

^s Nuncio Sidereo.

^t Gassendi Astron. in Ep. de 9 stellis circa jovem visis p. 257.

8 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

tam anno 1655 invenit summus ille *Hugenius*: Reliquas vero, tam quae Saturno Hugeniano satellite viciniores sunt, quam quae remouiores, variis temporibus variorum Telescopiorum ope observavit insignis Astronomus *Cassini*, prout ex transactionibus Anglicanis citat *Wolfius*^v, licet adhuc duas earundem observaverit *Hugenius*, prout ipse testatur ^x; praeter hos satellites annulo quoipam tenui, plano, cum Saturni coriore nupsiam cohaerente, ad Eclipticae planum inclinato cingi Saturnum observavit jam saepius laudatus *Hugenius*, qui, quibus usibus, ut verbis Keilianis ^y utar, inserviat, terricolas & latet, & perpetuo forsan latebit, cum nihil ei simile in rerum natura deprehendatur.

§. VI. Corpora haec (§. 5.) quae planetae secundarii vel & primariorum *satellites* dici solent, aequae ac ipsi primarii mouentur ab occasu in ortum; licet enim nobis terricolis apparent nunc ab occasu in ortum, nunc vero ab ortu in occasum ferri, certe ea motus irregularitas, in se nulla, non est nisi apparens orta ex vario motu situque telluris respectu horum satellitum: si enim e primariis satellites hos conspicere liceret, tum quidem motus illa variatio observaretur nunquam, & semper ab occasu in ortum eos ferri videremus, prout vel inde facile quis colligat, quod nos Lunam sine ulla mutatione in consequentia ferri semper videamus; motu autem hoc corpora haecce curvas describunt, quas haec tenus circulos vocabimus, quorum centrum non est in Sole, prout in primariis obtinere vidi mus, verum in ipso satellitum primario, ita ut centrum orbitae Lunaris videatur esse in tellure, siderum Mediceorum in Jove, Saturninorum denique in Saturno; motus vero hae aequales non sunt, neque aequali celeritate viae ab omnibus percurruntur, perfecte ut in primariis vidimus: Recentiorum industria hoc pacto rem se habere comperit: Luna, cuius distantia media a tellure est $60\frac{1}{2}$ semidiametrorum telluris, cursum suum circa tellurem absolvit spatio 27 dierum 7 ho-

ra-

^v Elem. Astron. p. 477.

^x System. Saturn.

^y Introd. in Astr. l. 3. p. 242.

INAUGURALIS.

rarum; Satellitum Jovialium vero

Intimus distans a Jove	$2\frac{5}{6}$	diam.	Jov.	spatio	1 d.	18 h.	28
Secundus	- - -	$4\frac{1}{2}$	- - -	- - -	3	13	18
Tertius	- - -	$7\frac{1}{6}$	- - -	- - -	7	4	-
Quartus	- - -	$12\frac{2}{3}$	- - -	- - -	16	18	5
Saturninorum vero							

Intimus distans a Saturno	$\frac{19}{4}$	diam.	annuli	spatio	1 d.	21 h.	18
Alter	- - - -	$1\frac{1}{4}$	- - -	- - -	2	17	41
Tertius	- - - -	$1\frac{3}{4}$	- - -	- - -	4	13	47
Quartus	- - - -	4	- - -	- - -	15	22	41
Quintus	- - - -	12	- - -	- - -	79	7	53 ^z

Unde patet ob magnum quarti & quinti Saturnini interval-
lum forte adhuc loco intermedio sextum, hactenus invisibi-
lem, delitescere, prout summus in hisce conjecturatur *Huge-
nius*^a; ex dictis quoque evidens est, id, quod in prima-
riis primum observasse magnum *Keplerum* diximus, pariter
& hic in secundariis obtinere, quod scilicet quadrata tempo-
rum periodicorum sint inter se ut cubi distantiarum, unde
hoc pro generali systematis Cosmici lege merito habetur^b;
quemadmodum autem orbitae, quas percurrunt, variae sunt,
ita quoque diversa est earundem tam ad Eclipticae quam pri-
miorum planum inclinatio.

§. VII. Praemissis itaque hisce, quae praemittenda censui-
mus, exigit ordo, ut videamus, cujusnam naturae sint curvae
illae, quas motu suo (§. 4. & §. 6.) planetas circa Solem de-
scribere diximus, quasque huc usque circulos vocavimus;
Quod ut determinemus, notandum est, observari plurimas in
motu planetarum irregularitates, quarum aliae ex motu telluris
ejusque vario situ respectu planetarum pendent, adeoque fi-
ctae vel tantum apparentes sunt, quaeque, si e Sole spectare-

B

mus

^z 's Graves. Phyl. elem. Math. I. 4. p. 1. c. I.

Hugen. Cosmooth. p. m. 699.

Whist. prael. Astr. I. 19. p. 209. 210.

^a Cosmooth. p. m. 698.

^b Keil. introd. in Astron. I. 4. p. 246.

10 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA.

mus planetas vel quiesceret in centro systematis Cosmici tellus nostra, observarentur neutquam, ut sunt stationes, retrogradationes, varia saepe eorundem apparet velocitas, longe major apparet in oppositionibus quam in conjunctionibus diameter, & quae hujus generis Phaenomena plura sunt: aliae secundum veterum plurimos fictae, & tantum apparentes, secundum recentiores tamen revera obtinere statuuntur. Piores quod attinet, eas, quippe ad nostrum negotium nihil spectantes, hic negligemus, de posterioribus tantummodo quaedam dicuntur: quod ut concinnius fiat, primum videbimus, quomodo haec irregularitates in motu Telluris circa Solem se habeant, quas ubi intellexerimus, facilius erit de reliquis differere.

§. VIII. Accurate tam veterum, quam recentiorum in primis observationes non eandem semper apparere Solis in motu suo (§. 4.) velocitatem, sed uno tempore velocius, altero minus velociter in orbita sua ferri docuerunt, & quidem ita, ut ab aequinoctio autumnali usque ad aequinoctium vernum motus sit velocissimus, motus vero ab aequinoctio verno ad autumnale sit altero tardior; quo sit, ut in sex signis (orbitam enim, quam percurrere Sol videtur, in 12 signa dividere solent Astronomi) borealibus sive ab ariete usque ad libram percurrentis diutius haereat, quam ubi australia conficeret, sive a libra usque ad arietem; & sane haec differentia non est exigui momenti, sed e contrario valde notabilis; adeo ut spatium, quod motu suo inter vernale & autumnale aequinoctium Sol conficit, sit octo circiter diebus maius, quam quod ab autumnali ad vernale motu suo peragrat; & hinc secundum exactissimas exactissimi Cassini observationes Sol commoratur in signis borealibus 186 dies 14 horas 53 minuta; in australibus vero 178 d. 14 h. 56 m. differentia existente 7 d. 23 h. 57 m. adeo ut aestas, quod miratur vulgus, septimanam & ultra ipsam hyemem excedat; interim dum motus velocitas augetur, incipit quoque augeri apparet ejus magnitudo, sic ut aestivo tempore, quando Sol lentissime fertur, simul minimus conspicatur; tempore vero

INAUGURALIS.

¶

vero hyberno, quando motus est concitatissimus; diameter ejus apparet maxima: ita ut ex accuratissimis *Phil. de la H*
re observationibus minima Solis diameter deprehendatur esse

31, 38 media 32, 10 maxima 32, 43; qui aliorum circa
hanc rem observata desiderat, adeat *Wolfius*^c; ex qua ultima
observatione necessario sequitur, quod revera hyeme Sol
nobis propior sit quam aestate; cum enim apparentes corpora
diametri distantiis (si scilicet magnae satis fuerint) sint
reciproce proportionales, ut demonstrant optici^d, sequitur,
quod aucta apparente Solis diametro, ut tempore brumali
contingit, necessario ejus a tellure distantia imminuat.

§. IX. Quod autem de Sole respectu telluris modo (§. 8.)
diximus, idem verum est quoad reliquos planetas; licet enim
eorum velocitas nunc intendi, nunc vero remittere nobis vi-
deatur; licet nunc maiores, nunc minores videantur, idque
tam notabilis differentia, ut diameter Martis acronychii sive
in oppositione existentis (tum enim planetae superiores lon-
ge maiores videntur, quam in conjunctionibus; planetae ve-
ro inferiores, qui Soli opponuntur nunquam, maximi obser-
vantur in conjunctionibus inferioribus, hoc est, planeta in-
ter Solem & terram interposito, quando simul omnium mi-
nime luminosi sunt) octies imo secundum alios nonies major ob-
servetur, quam in conjunctione, sic ut aliquando novum fidus
creditum fuisse ex *Keplero*^e citet *Ricciolus*^f; licet, inquam,
haec sic se habeant, & satis explicari possint sine majori mi-
norive ad Solem appropinquatione, quippe quae oriuntur a
vario telluris respectu planetarum situ, tamen certa quaedam
deprehenduntur Phaenomena, quae exigunt necessario, ut
eos statuamus in motu circa Solem nunc ei accedere proprius,
nunc vero ab eo distare longius, & velocitatem eorum non
semper esse eandem; in eodem enim quoad conjunctionis cum

B 2

Sole

^c Elem. Astron. p. 485.^d Keil introd. in Astron. l. 1. p. 229. 230.

Wolf. elem. opt. §. 205.

^e Astron. Opt. c. 10. p. 333.^f Almag. nov. l. 7. f. 6. c. 10. f. 713.

12 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

Sole aut oppositionis positu majores minoresque videntur, & in Zodiaco velocius paulo, pauloye tardius moventur ^g; quae quidem anomaliae non aliunde peti posse videntur quam a veris planetarum distantiis mutatis; unde si e planetis tam inferioribus quam superioribus Solis cursum observare nobis contingaret, deprehenderemus perinde ac in tellure nostra velocitatem Solis nunc intendi nunc vero remittere, Solisque diametrum certa quadam ratione nunc majorem apparere, nunc vero minorem; quae quidem ratio satis facile determinari potest; ut enim v. g. apparentias Solaris diametri e Jove spectatae investigemus, ponimus 1°. quod diametri corporum apparentes distantiis sint reciproce proportionales, quod in magnis distantiis sic obtinere ^g. praecedenti monuimus: 2°. ponimus ex observatis Keplerianis distantiam medium Jovis a Sole se habere ad distantiam medium telluris a Sole ut 178640 ad 34377; 3°. distantiam Jovis a Sole maximam esse 187254, medium vero 178640, minimam denique 170026 ^h; hisce ita positis, dico, si Solaris diameter e Jove conspiciatur, medium apparituram quasi 6, 11, maximam 6, 29, minimam denique 5, 54. Quod ut pateat sic ajo, ut distantia media Jovis a Sole se habet ad distantiam medium telluris a Sole, ita se habet diameter media apprens Solis e tellure visi, ad diametrum medium Solis e Jove visi h. e. 178640: 34377: 32, 10: 6, 11 circiter; deinde ut distantia minima Jovis a Sole ad distantiam ejusdem medium ita diameter media Solis e Jove spectati ad diametrum ejusdem Solis maximam h. e. 170026: 178640: 6, 11: 6, 29; tandem denique, ut distantia Jovis a Sole maxima ad distantiam ejusdem medium, ita diameter media Solis e Jove observati ad diametrum ejusdem minimam h. e. 187254: 178640: 6, 11: 5, 54. qui diametrum Solis ex aliis planetis spectati desiderat, adeat Ricciolum ⁱ.

^g X.^g Whist. prael. Astron. l. 17. Phaen. xi.^h Wolf. elem. Astron. p. 560. ⁱ Almag. nov. l. 7. f. 16. f. 720.

§. X. Hasce primiorum planetarum (de secundariis enim paulo post quaepiam dicemus) in motibus inaequalitates non omnes eodem modo explicare atque aequare conati fuerunt Astronomi & Philosophi; quod enim attinet ad diversitatem illam apparentis Solis diametri, certum quidem est & indubitatum colligi inde necessario, quod uno tempore propius ad Solem accedant, alio vero tempore longius distent planetae, adeoque quod mutatio illa diametri oriatur a vere mutata distans; quod vero variam illam velocitatem spectat, certe non adeo facile est determinare, an haec revera sic obtineat, an vero, ut reliquae motuum inaequalitates, tantum sit apparenſ & imaginaria; potest enim fieri, ut motus, qui in se aequabilis est, nunc intenſior nunc vero remiſſior conspicatur, quemadmodum demonstrari potest, id necessario fieri, si corpus in circulo aequabiliter moveatur, motusque a spectatore intra circuli peripheriam extra centrum collocato spectetur, prout ostendit *Keilius*^k, & nos sequenti §. videbimus.

§. XI. Veteres, qui nescio quibus praejudiciis occupati motus omnes omnium corporum coelestium valde aequabiles statuebant, eos in circulis, quippe qui omnium figurarum essent simplicissimi principio quasi & fine carentes, fieri sibi certo certius persuadebant: quem sane motum circularem ante *Keplerum* omnes Astronomi & post eum pauci hypothesibus suis plus justo addicti amplexi sunt: Ut vero hasce motuum anomalias solverent, censuerunt planetas moveri in circulis excentricis, hoc est, quorum centrum esset diversum a loco, quem Sol tenet, id est, a centro plani Eclipticae, unde sequebatur necessario, quod motus Solis nunc velocior nunc vero tardior apparere deberet, licet secundum eorum hypothesis in se esset admodum regularis & aequabilis, simulque hinc certo colligebatur, quod Solis apparenſ diameter non posset non uno tempore major, altero minor observari: Sit v.g. (Fig. I.) *GHIK* circulus Eclipticam representans; sit *S* centrum Eclipticae & ex systemate Copernicano locus Solis:

B. 3

fig

^k Introd. in Astron. l. 2. fine.

14 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

sit ANPM orbita telluris, aliasve alicujus planetae, cuius centrum sit C, adeoque quac sit excentrica Eclipticae; quibus positis sequitur, quod necessario variari debeat apparen^s Solis diameter; dum enim tellus existit in A, nos videbimus Solem in H; dum vero tellus in P existit, nos videbimus Solem in K; sed in H Sol magis distat a nobis, quam in K; est enim AH major quam PK; ergo quoque Solis diameter in H minor observabitur quam in K; ergo ubi tellus in Perihelio (sic vocatur punctum P) existit (id quod brumali contingit tempore) Solis diameter major conspicatur oportet, quam ubi in Aphelio (sic vocatur punctum A) versatur, (id quod aestivo obtinet tempore). Quod vero variata attinet velocitatem, & haec certe satis commode ex hac hypothesi explicari posse prima fronte videtur; quandoquidem enim tellus in orbita sua aequabili semper tenore incedere supponitur, ex centro orbitae spectata aequales arcus aequali tempore percurreret non modo, sed & spectatori eos aequabiliter percurrere appareret ob aequales cont. nro angulos; sed e Sole si videris, longe aliter se res habebit; cum enim aequales arcus inaequales angulos subtendant (est enim angulus PSE major angulo ASD, namque angulus PSE major angulo ACD; sed angulus ACD major angulo ASD¹, ergo angulus PSE longe major angulo ASD) necessario & motus inaequales confici debebunt; anguli enim & motus & velocitatum sunt mensurae, ut pulcre pro more suo demonstrat laudatus saepe *Keilius*^m; hinc ob angulum PSE majorem angulo ASD arcus PE vel HF citius percurri videbitur, quam arcus AD vel KL; hinc tota portio circuli NPM seu semicirculus GHI a tellure e Sole videbitur citius confici, quam segmentum MAN seu semicirculus IKG; adeoque terrâ diutius haerens in portione orbitae suae MAN, quam in NPM, facit, ut Sol lentius semicirculum GHI percurrere videatur, quam semicirculum IKG; adeoque liquet, quod Sol e tellure spectatus diutius

hae-

^l Euclid. l. i. pr. 16.^m Introd. ad Astron. l. i.

haerere videbitur in percurrentis signis borealibus quam in australibus, id quod per phænomena ita compertum esse (§. 8.) monuimus; cum e contrario tellus e Sole spectata diutius haerens apparebit in signis australibus quam in borealibus; patet vero exinde, id, quod dicta etiam § annotavimus, Phænomenon, quod simul dum velocitas major est, diameter quoque apparet augeatur; constat id ex demonstratis, quia in semicirculo, quem altero citius Sol nobis absolvere videtur, quoque nobis vicinior est, quam in illo, quem tardius conficit; patet quoque, quod quo excentricitas (sic vocatur lineola SC) minor est, eo minorem quoque fore & apparentis diametri & variatae velocitatis differentiam; majora vero fore haec omnia, quo excentricitas illa major est; & hinc differentiae irregularitatum in reliquis planetis dependent, ad quos ceterum dicta haec de tellure applicari debere nemo non videt.

§. XII. Haec fuit apud veterum plurimos usitata motus planetarum explicandi ratio; quae quidem theoria motum Solis utcunque, non tamen aequa bene, ut testantur observationes, reliquorum planetarum explicabat; motum Solis, inquam, utcunque explicabat; non enim ei integre satisfaciebat, prout phænomenon dari huic theoriae adversum solide demonstravit Keiliusⁿ, cuius quidem verba, utpote ad rem nostram multum facientia, necessario huc adferenda censui, ait ille; *Est praeterea in ipso Sole Phænomenon, cui non respondet veterum theoria, quodque illam falsam esse evincit; scilicet observationes accuratissime factæ ostendunt, Solis diametrum in Aphelio esse 31, 29; in Perihelio 32, 33,* (sic ille; nos paulo alter vidimus §. 8.) sed diametri Solis apparentes sunt reciproce, ut Solis distantiae a tellure; unde prodit veram Solis distantiam, cum terra est in Aphelio, esse ad distantiam Solis in Perihelio ut 1953

ad 1889 (nam 31, 29 = 1889 & 32, 33 = 1953); sed si superius tradita Theoria vera esset, distantia Aphelii esset ad distantiam Perihelii ut 10345 ad 9655 (cum enim Fig. I. CA

ⁿ. Introd. ad Astron. l. 23. p. 420.

16 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

ponatur esse 100000 & SC 3450 & SA = CA + CS & SP = CP — CS erit SA ad SP ut 100000 + 3450 ad 100000 — 3450 :: 103450:96550 :: 10345:9655) quae ratio est major priore; nam si excentricitas effet partium 345, qualium radius excentrici est 10000, & si diameter apparet Solis in Perihelio sit 32, 33 diameter in Aphelio erit tantum 30, 22 (est enim ut distantia Solis in Aphelio ad distantiam Solis in Perihelio, sic apparet Solis diameter in Perihelio ad apparentem

diametrum Solis in Aphelio h.e. 10345:9655 :: 32, 33 : 30, 22) contra observationes; Falsa est itaque illa Theoria, quae tantam ponit excentricitatem: Nam bisecta excentricitate ejus semidis melius respondeat diametris Solis apparentibus observatis; at talis excentricitas, posito quod centrum excentrici sit quoque centrum motus medii, non aequa Phaenomenis motuum congruit: Nam observationes refellantur aequationes seu Prostaphaereses (sic vocatur Fig. I. angulus CDS) duplo maiores esse, quam quae ex bisecta excentricitate elicuntur, adeoque necesse est, ut falsa sit illa veterum Theoria. Cum itaque haec veterum methodus legitima non sit, hinc alii, ut motum horum irregularitates aequaliter, aliam longe viam ineundam esse censuerunt, quem in finem statuerunt, punctum, e quo planeta uniformiter moveri consiperetur, non esse, ut in Fig. I. centrum excentrici, sed ab eo diversum, & tantum inde distans, quanta est ipsius Solis ex Copernicano vel terrae ex Ptolemaico systemate ab excentrici centro distantia; sit v. g. (Fig. II.) semicirculus AEB descriptus centro C diametro AB; excentricitas sit CS; sit S locus Solis terraev; sumatur CD = CS, erit D punctum, ut vocant, aequantis, e quo scilicet planeta spectatus aequalibus temporibus aequales angulos conficeret videbitur, sic ut tam e centro orbitae C quam loco Solis S inaequaliter moveri videretur ^o; & hoc pacto ruditer velocitatis & apparentis diametri varietas explicari posse videtur; Hisce autem, quandoquidem attendentи sunt manifesta, diutius non inhaerebimus: Hacc autem hypothesis, licet

^o Kepler. comm. de mot. stellae Martis par. i. c. 4.

priori

priori longe melius phaenomena explicaret, tamen a paucis fuit recepta; quum enim inde necessario sequebatur planetam non uniformiter, sed variata velocitate orbitam suam percur- rere, adduci non potuerunt Philosophi & Astronomi, ut nescio quibus fundamentis innixum de planetarum aequabili motu praejudicium deponerent, unde nec huic sententiae magnus *Copernicus* subscribere voluit, sed aliam hasce irregu- laritates explicandi methodum, ope scilicet Epicyclorum ex- cogitavit, quae, cum sit longe operosior, in praesenti a no- bis non tractabitur, cum de ea legi possint & mereantur ipse *Copernicus* p & *Keplerus* q.

§. XIII. Ut cunque de motu Planetarum in orbitis dif- farent Astronomi, qui juxta quosdam (§. 11.) foret aequa- bilis, secundum alias vero (§. 12.) minimè uniformis, in eo tamen paria faciebant omnes, quod orbitalium figurae fo- rent circulares; licet enim jam *Nic. Copernicus* ex sua hypo- thesi deduxerit orbitas non esse perfecte circulares, tamen addit differentiam esse insensibilem^r; sic enim ait; *Hinc etiam demonstrabitur, quod sidus hoc motu composito non describat circulum juxta priscorum sententiam Mathematicorum, differentia insensibili;* & paulo post addit, *Planetes igitur per aequales mo- rtes epicyclii in excentro & ipse in epicyclo non describit circulum perfectum, sed quasi;* Haec autem de motu circulari opinio viguit tamdiu, donec summum illud Mathematicorum decus & hoc preeprimis nomine infinita de re Astronomica & Phy- sica meritus *Job. Keplerus* neque motum planetarum aequabi- lem esse, neque orbitalium figuras circulos esse publice pro- nunciaverit, & ex fidelissimis nobilis illius *Dani Tychonis Bra- hei*, quas circa stellam Martis instituit, observationibus col- legerit in excellentissimo tractatu, cui titulus est; *Astronomia nova àstrolōgūnt seu Physica coelestis tradita commentariis de motibus stellae Martis;* Cum enim ad datum tempus distan- tias Martis a Sole observasset *Tycho Brahe*, ad idem tempus

C

cas

p Revolut. coelest. l. 3. c. 15. l. 5. c. 4.

q l. m. l.

r Revol. coelest. l. 3. c. 4.

18 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

eas ex hypothesi circulari computavit *Keplerus*, invenitque magnam inter calculum & observationes dari differentiam, ex qua differentia collegit orbitae figuram non esse perfectum circulum, sed lineam ovalem aut Ellipticam; sicut enim (Fig. I.) B,O,E, loca Martis in orbita; ex observationibus Braheanis constat lineam BS esse 166255, SO 163100, SE 147750; sed ex suo calculo invenit *Keplerus* lineam BS esse 166605 SO 163883 SE vero 148539. Ex quibus patet non congruere calculum *Kepleri* cum observationibus Braheanis, ita quidem ut SB calculo reperti & observati differentia sit 350; ipsius vero SO 783, SE denique sit 789; cum autem & suum calculum & observationes Tychonianas certissima esse contendat *Keplerus*, hinc colligit, quod orbita planetae in B parvum a circulo defectum habeat, in O & E ex utroque latere magnum admodum, quantum per observandi incertitudinem, ob quam 200 fortassis aut ad summum 300 particulias in dubio ponit, excusare nullus potest, unde ulterius concludit, quod, cum orbita planetae utrinque a circulo ad centrum appropinquet, via planetae non sit circulus, sed linea ovalis, quod & alio ibidem argumento probare annititur^s; Haec autem linea ovalis sive potius Elliptica hodie tantum non ab omnibus Astronomis, paucos exceperis^t, ut vera orbitalium, in quibus planetae moventur, figura admittitur, quippe quae omnibus Phaenomenis omnium optimè satisfacit; Hujus autem lineae Ellipticae constructionem notabilesque ejus proprietates vide apud *Apollonium Pergaeum*^v, *Pbil. de la Hire*^x, *Marchionem de l'hopital*^y, *Jac. Milnes*^z, *Fr. a Schooten*^a, summumque illud patriae nostrae decus & ornamentum *Fatum de Witt*^b, & tam veterum quam recentiorum plures alios.

§. XIV.

^s Comm. de mot. stell. mart. c. 41. 42. 43. 44.^t Phil. de la Hire praef. in tab. Astron.^v Conic. libris.^x Nouveaux elemens des Sections coniques p. 36. seqq. Section. Conic. p. 20.^y Traite analytiq. des Sect. Coniq. p. 19. seqq.^z Elem. sect. con.^a De organ. sect. con. in piano descriptione p. 309. seqq.^b Elem. lia. curv.

§. XIV. Motus autem planetarum in his Ellipsis fit circa Solem, sed ita ut Sol non in centro Ellipses sed in focorum alterutro collocetur, unde necessario debet planeta uno tempore proprius ad Solem accedere, alio vero longius inde distare; Neque aequabili in his orbitis motu sidera haec feruntur; sed nunc intensior ille, nunc remissior est, idque certa quadam ratione, quam idem invenit *Keplerus*; deprehendit etenim summus ille vir, tempora, quae ad percurrentes certos arcus impendunt planetae, esse inter se, ut sunt areae hisce arcibus & lineis ad Solem ductis contentae; sic v. g. (Fig. III.) tempus, quo planeta percurrit arcum BD se habet ad tempus, quo percurrit arcum GE, ut area SBD ad aream GSE; hinc patet, quod, cum prope Perihelium aequales areas majores subtendant arcus, quam prope Aphelium, motus quoque planetarum circa Perihelium sit incitator quam prope Aphelium, id quod ex observationibus constare §. 8. monuimus; Sequitur quoque hinc, quod, quo ellipsis a circulo deflectit magis, id est, quo foci à centro sunt remotiores, eo hae differentiae tam apparentis diametri, quam velocitatis nunc majorum nunc minorum majores erunt, ob majorem scilicet & distantiae & arcuum aequales areas subtendentium differentiam, quod in cometis dubio procul obtinet, sed de his postea plura; Quod autem de stella Martis invenit *Keplerus*, idem analogice de reliquis planetis adfirmare non verentur Astronomi; Praeter hanc Ellipsis egregius *Cassini* novam orbitam excogitavit, quae motuum deprehensas varietates explicaret, sed quoniam haec linea ab Elliptica parum differt, cumque in ea, judice Phil. de la Hire^c, longe sit difficilior calculus, hinc ei non inhaerebimus.

§. XV. Quod praecedenti articulo de figura orbitalium in planetis primariis Elliptica diximus, idem de secundariis alicet adfirmare, non adeo in propatulo est: Quod Lunam telluris nostrae satellitem unicum attinet, ei sine dubio Elliptica orbitae figura attribuenda est; cum enim eadem, quae

C 2 pri-

^c Praef. ad tab. Astr.

20 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA.

primarii, praebeat phaenomena oriunda ex orbitae figura, eandem quoque illi, quam primariis, orbitam jure adscriptis summo; Variat enim apparen^s diameter, quae, ceteris paribus, in Apogaeo minor in Perigaeo major deprehenditur; variat quoque velocitas, quae diminuta apparente diametro etiam minuitur aucta vero eadem intenditur; ceteris, inquam, paribus, nam motus hic per varias irregularitates, omnes ex causis Physicis deducendas, mire turbatur & mutatur, qua de re cum pauca dicere sit nihil dicere, nobilissimam hanc materiam ulterius non excutiemus, cum nobis sufficiat, merito ipsi Lunae orbitam adsignari Ellipticam; Quod vero reliquos satellites tam Joviales quam Saturninos spectat, certe, teste *Whistono*^d, non est phaenomenon, quin per orbitas satellitum pene circulares plene & perfecte solvi possit; Hugeniani vero satellitis orbitam circularem statuerat *Hugenius*; verum celeberrimus *Edm. Halley*, vir certe, quem omnes venerantur Astronomi, cum deprehendisset periodos Hugenianas a veris haud parum aberrare, motusque atque orbitam curatius expendere coepisset, motus aliquantulum inaequales atque orbitam non nihil Ellipticam statuere coactus est^e; Ex quibus merito concludere licet, quod admodum verisimile sit, in his quoque analogiam, quam in reliquis in primis corporum coelestium motibus adeo sibi ubique constans tenet natura, servari, adeoque quod probabile sit & secundariorum sive satellitum aequa ac primiorum orbitas esse Ellipticas, licet procul dubio foci a centro parum admodum distent, id est, quamvis ad circulum proxime accedant.

DE PLANETARUM MOTU IN ORBITIS.
ELLIPTICIS EX DEMONSTRATIS
NEWTONIANIS.

§. XVI. Nihil me hercule in Physicis conduit magis,
quam

^d Prael. Astron. I. 18. p. 268.

^e Whist. prael. Astron. I. 19. p. 213.

quam ut veritas, praesertim ea, quae magni momenti est, variis modis, iisque, quantum fieri potest, inter se diversis investigetur; Hoc enim pacto fit, ut credulus forte nimis, & sic haud difficulter decipiendus magis magisque confirmetur animus; vel & e contrario non satis cito assensum præbere solita humana mens in consensum volens nolens trahatur; Hanc sane agendi methodum ipsi comprobant Mathematicorum filii, unde propositiones certo certius jam demonstratas toties *alio modo* probare amant, ut magni *Euclidis* commentatores infinitis in locis docent; Et sane haec si fecerunt Geometrae, quanto potiori jure hanc viam ingrediuntur Physici, quorum scientiam, quidquid alii inepte dicant, disciplinae Mathematicae tam certitudine quam evidentia multis parasangis exsuperant; idem & in hoc nostro negotio contigisse laetantur omnes, quotquot sunt rei Astronomico-Physicae cultores indefessi; quod enim ex observationibus Tychonianis a posteriori *Keplerum* collegisse §. 13. monuimus, illud ipsum, stupente toto Mathematicorum Physicorumque cho-ro a priori, habita tamen coelestium Phaenomenorum ratione deduxit *Isaacus Newtonus*, vir certe, si quis alias, toto literatorum orbe notissimus & summo jure inter primos hujus seculi Geometras collocandus; quo factum est, ut & observationibus Braheanis, & Kepleriano calculo haud parum accesserit ponderis, & vicissim magni *Newtoni* sententia per laudatas observationes egregie fuerit confirmata.

§. XVII. Ut autem, quantum fieri potest clare & distin-
cte, quo pacto hanc rem executus fuerit illustrissimus *New-
tonus*, ostendamus, oportet, ut quaedam de viribus centra-
libus, nobilissimo illo in Physicis argumento, praemitta-
mus.

Quicunque vel a limine Physicos salutaverit, facillime mihi assentietur, omnem motum ex natura sua esse rectilineum, hoc est, fieri per lineam rectam, sive omnium, quae a puncto dato ad punctum datum duci possunt, brevissimam, quod ut axioma Physicum adsumimus; Ex quo sequitur, si cor-
pus in linea curva moveatur, adesse aliquam causam, quae
C. 3. cor*

22 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

corpus illud a statu suo naturali deflectit, idque continujs vicibus, adeo ut curva illa possit considerari tanquam polyedrum rectilineum infinitorum laterom angulos numero infinitos continens, cujus quaevis talis recta lineola producta ut tangens hujus curvae potest concipi, prout & Mathematici ponere solent ^f; Corpus itaque illud duabus quasi viribus agitatutum concipi potest, quarum una per naturalem sibi rectam lineolam movetur, altera vero a priori deflectat per angulum infinite parvum, & qua ad centrum motus continuo pellitur; Virium harum posteriorem cum summo viro Newtono ^g vim vocamus centripetam; Priorem vero cum laudato toties Hugenio ^h vim dicimus centrifugam, quam & Illustris Leibnitius summum illud Germaniae ornamentum conatum excusorium apto appellat nomine ⁱ, quas vires in omni motu curvilineo adesse facile quis conspicerit; Non autem curamus, unde duplex hic motus oriatur, sive ab impulsu Mechanico, sive, ut alii quibusdam in motibus curvilineis obtinere contendunt, ab attractione quadam per leges Mechanicas hactenus inexplicabili; Sufficit nobis, vires has merito his nominibus donari; vis enim centripeta efficit, ut a tangentie centrum versus corpus retrahatur ^j; vis vero centrifuga merito dicitur, quia conatur corpus per tangentem ad curvam continuo propellere, & revera propelleret, nisi vis centripeta centrum versus adigens obesset; Haec enim si a corpore in curva moto subito tolleretur, corpus id per tangentem ad illam curvam projiceretur, prout vel ad oculum patet ex lapide fundae imposito & in gyrum acto, qui si sibi relinquatur, hoc est, vis centripeta tollatur, proiecetur per tangentem ad illum descripti circuli punctum, in quo, dum sibi relinquebatur, exstebat; Sic certe nos, qui cum tellure circa axem moto valide circumvolvimus in circulo aequatori parallelo, necessario maxima velocitate projiceremur per tangentem ad illum circulum, nisi causa quaedam adesset, quae nos centrum

^f Marquis de l'hospital anal. des infin. petits p. 3. supp. 2.

^g Phil. nat. princ. math. def. 5.

^h Theorem. de vi centrif. p. m. 188.

ⁱ Michelot, de separ. fluid. in corp. anim. p. 54.

versus adigeret; Circa quae non possum satis mirari lapsum virorum quorundam doctorum^k, qui telluri motum circa axem denegabant ex eo capite, quod inde necessario sequeretur (ut sequitur revera) conatum recedendi a terra terrae partibus debere competere, quod illi falsum esse autumabant, cum tamen revera tali vi centrifuga partes terrae gaudeant, sed a vi centripeta, gravitate scilicet versus centrum terrae, effectum suum edere impediatur; Vires autem hae centrifugae & centripetae communi nomine *vires centrales* appellantur, quo & in posterum eos donabimus; suntque hae vires semper exacte aequales; actioni quippe contraria & aequalis est reactio; Neque est, quod quis arguat, sequi ex aequalitate harum virium, nullum corpus in linea curva posse moveri, ex eo, quod hae vires aequales inter se mutuum effectum videantur debere destruere; namque licet actio equi & reactio currus exacte inter se sint aequales, equus tamen currum protrahit; sic certe licet vis centripeta vi centrifugae praecise sit aequalis, motus tamen corporis continuatur; quod quidem latius deducendo evidens fieri posset, nisi hoc negotium de actione & reactione aequalibus & sequenti tamen motu pulcre pro more confecisset subtilissimus *Hermannus*^l.

§. XVIII. Hisce jactis fundamentis dico: *Corpus, quod in gyrum agitatur & vi ad centrum tendente in curva retinetur, describere areas, lineis ad centrum ductis, temporibus proportionales*; Hoc ut cum summo Newtono demonstremus, concipiamus corpus projectum per lineam A B C & singulis momentis infinite exiguis percurrere partes infinite exiguae, iisdemque momentis infinite exiguis continuo versus centrum S propelli; Corpus primo momento infinite exiguo percurrat lineolam AB; idem secundo momento percurreret lineolam B C = A B eidemque in directum adjacentem, si a nulla omnino causa impediretur, secundum notissimam in Physicis naturae legem, quod scilicet omne corpus perseveret in statu suo vel quiescendi vel mouendi uniformiter in directum, nisi qua-

^k Senguerd. Phil. nat. p. 2. &c. 2.

^l Phoron. app. p. 378.

quatenus a viribus impressis cogitur statum illum mutare; sed interim corpus illud trahitur versus S; sit itaque CE parallela ipsi BS designans celeritatem ex illa tractione oriundam; ergo corpus, quo momento percurrit lineolam BC, jam percurrit basin trianguli, cuius latera sunt BC, CE, hoc est, lineolam BE; ulterius ex eadem lege mox memorata corpus percurreret lineolam EF eodem tali momento infinite exiguo, nisi iterum vis centripeta traheret corpus per FG paralelam ipsi ES, quod cum fiat, corpus eodem momento, quo percurrit lineolam EF, pertransire debet lineolam EG; sic & momento sequenti percurret lineolam GI, cum absente vi centrali percurrit lineolam GH, & sic de ceteris; His ita positis tempore, quo percurrit corpus AB, describitur area ABS; eodem tempore percurritur lineola BE describiturque area BES; eodem iterum momento percurritur linea EG, & describitur area EGS; tandem eodem momento percurritur lineola GI & describitur area GIS; sed ut tempora haec ex demonstratis sunt aequalia, ita & areae hae sunt aequales: Est enim triangulum ABS = BCS (ob bases aequales AB & BC & communem verticem S) sed est BCS = BES (quia triangula haec habent eandem basin BS, suntque inter easdem paralelas CE, BS †), ergo triangulum ABS = triangulo BES; eodem modo demonstrabitur, quod sit area EGS = BES = ABS, & tandem quod GIS = EGS = BES = ABS; ergo areae hae sunt aequales; sed, ut vidimus, sunt & tempora aequalia; adeoque areae sunt ut tempora; hinc tempus, quo percurruntur lineolae AB, BE, se habet ad tempus, quo percurruntur lineolae AB, BE, EG, GI ut se habet area ABES ad aream ABEGIS; Quaecunque autem de lineolis rectis demonstravimus, eadem haec ad curvas transferri debere facile perspexerit, quicunque consideraverit ea, quae de lineis curvis, ut polyedris rectilineis infinitorum laterum considerandis, praeced. artic. monuimus; Corpus itaque in gyrum actum & vi centrum versus tendente in curva retentum describit

areas,

† Euclid. l. 1. pr. 37.

areas, lineis ad centrum ductis, temporibus proportionales.

Q. E. D.

§. XIX. Ex hac autem demonstratione sequitur, id quod nobis in responsionibus ad objectiones Hartsoekerianas usu veniet, *corpus, quod circa centrum movetur & vi versus centrum tendente in curva retinetur, si inter movendum magis ad centrum accedat, in motu suo accelerari, retardari vero magis, quo a centro suo recedit plus;* cum enim lineola GI centro S sit propior, eademque sit major lineola AB, eodem tamen tempore percurratur, sequitur, quod velocitas corporis lineolam GI percurrentis major debeat esse velocitate corporis lineolam AB percurrentis; cum enim spatia a duobus mobilibus percurla sint in ratione composita temporum & celeritatum, ut monstrant Mechanici, necessario, si spatia inaequalia aequali tempore percurrantur, velocitates differre debent; Patet igitur, quod velocitas corporis dicto modo agitati prope centrum major sit, quam ad majorem ab eo distantiam, quod & Experimento constat^m.

§. XX. Propositionis, quam modo (§. 18.) demonstravimus, inversum eodem modo verum esse haud minus facile demonstrari potest; nempe *Corpus, quod movetur in linea curva & describit areas circa punctum quoddam temporibus proportionales, a recta linea detorqueri & urgeri vi tendente ad idem punctum.* Corpus, quod primo momento percurrit lineolam AB, omni vi mutante ablata secundo momento fuisset in C, sed jam per hypothesin est in E, ergo deflectit a motu rectilineo per lineolam CE; jam vero triangulum ABS per hypothesin est aequale triangulo BEC, est autem ABS = BCS (§. 18.) ergo BEC = BCS; ergo lineola CE est parallela lineolae BSⁿ; adeoque vis, quae corpus a linea recta detorquet, versus centrum dirigitur. Q. E. D.

§. XXI. Demonstrarunt & solide experimentis confirmarunt Mechanici vires centrales posse inter se differre pro ratione quantitatis materiae in corporibus revolutis, ratione di-

D

stan-

^m 's Graves. Phys. cl. math. §. 224.

ⁿ Euclid. l. i. pr. 40.

26 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

stantiarum a centro, & tandem ratione temporis periodici, id est, temporis in quo corpus integrum revolutionem peragit, idque quidem ita, ut, quomodounque hae vires inter se differant, semper sint inter se in ratione composita ex ratione quantitatis materiae, ratione distantiarum a centro, & ratione inversa quadratorum temporum periodicorum ; unde sequitur, quod, si quantitates materiae sint aequales, vires centrales sint in ratione composita ex ratione distantiarum a centro, & ratione inversa quadratorum temporum periodicorum ; sive, ut determinetur proportio inter vires centrales, distantias per quadrata temporum periodicorum esse dividendas, dicantur enim vires centrales V. v. distantiæ D. d. tempora periodica T. t. habebitur haec propor-

$$\frac{D}{T} \cdot \frac{d}{t}$$

$$\text{ratio } V:v::Dx\frac{t^2}{T^2} : dx \text{ sive quod idem est } V:v::\frac{D}{T} \cdot \frac{d}{t}.$$

Hoc si obtineat, simulque quadrata temporum periodicorum fuerint inter se ut cubi distantiarum, dico, vires centrales fore in ratione inversa quadratorum distantiarum a centro, id est, $V:v::d^2:D^2$. Quandoquidem enim ex hypothesi

$$\frac{D}{T} \cdot \frac{d}{t} = \frac{D^2}{D^2} \cdot \frac{d^2}{t^2}$$

$$T^2:t^2::D^2:d^2 \& D:d::D:d, \text{ erit } \frac{T^2}{D^2} \cdot \frac{t^2}{d^2} = \frac{D^2}{D^2} \cdot \frac{d^2}{t^2}.$$

Sed ex demonstratis $V:v::\frac{D^2}{D^2} \cdot \frac{d^2}{t^2}::ergo V:v::\frac{D^2}{D^2} \cdot \frac{d^2}{t^2}$ si-

ve quod idem est $V:v::d^2:D^2$. Q. E. D. Haec quidem demonstratio innititur illi hypothesi, quae statuit quantitates materiae in corporibus circumvoluis esse aequales, sed facile patet, illam aequa bene procedere, etiam si ponamus corpora esse inaequalia, modo ponatur vis centralis agere in corpora inaequalia eodem modo ac agit in aequalia; adeoque sequitur hinc, quod si vires centrales agant in corpora inaequalia eodem modo ac in aequalia, & si quadrata temporum periodicorum fuerint inter se ut cubi distantiarum, vires centrales erunt inter se inverse ut quadrata distantiarum a centro.

§. XXII.

§. XXII. Ultimum denique, idque maximi quidem momenti, quod circa vires centrales notandum nobis restat, est celeberrima & incredibilis in Physicis utilitatis propositio, qua asseritur, quod si corpus circa punctum quodpiam circumvolvatur ea lege, ut vis centralis ad aequales a centro distantias sit aequalis, ad inaequales vero inversè ut quadratum distantiae, corpus illud percurrere debet Ellipsin, cuius focorum alter cum centro virium coincidit. Quam quidem utilissimam propositiōnem, ad cujus demonstrationem penitior requiritur Geometria, hic non probabimus; quandoquidem enim quaēdam praemittenda forent lemmata, nostraēque jam satis excreverint pagellae, neque pauca adhuc dicenda restitent, malim B. L. ad ipsos fontes remittere illustrissimum scilicet Newtonum p & celeberrimum's Gravesande^q, apud quos haec propositio satis clare demonstrata inveniri potest; Nos hoc effatum ut verum adsumimus, idque ut certo certius demonstratum in sequentibus adhibebimus, notantes tantummodo vi centrali hac ratione agente non semper & in omni casu Ellipsin describi, verum aliquando & binas alias sectiones Conicas Parabolam videlicet & Hyperbolam, tum scilicet, quando vis centripeta in summo corporis a centro virium recessu, ut v. g. (Fig. III.) in punto C nimis debilis est, quam ut viam corporis inflectat, quod cum, fatehēt quolibet, in systemate mundano, nisi forte quosdam Cometas exceptis, non obtineat, hic non curamus; & vi centrali hoc modo agente semper lineam Ellipticam describi adsumimus. Fateor equidem hac eadem vi & circulum posse describi, verum solummodo tum, cum punctum, circa quod corpus revolvitur, a centro orbitae non differt; hoc est ubi nulla datur excentricitas, at vero, cum neque hoc in systemate planetarum primiorum, forte secundiorum (§. 15.) locum habeat, hic loci considerare negligimus, cum tamen & in eo casu, in quo circulus describitur, possit dici, quod Ellipsis describatur; Est enim circulus Ellipsis, cuius foci cum centro coincidunt; namque circuli & ellipsoeis proprietates,

D 2

posi-

d Princ. Phil. Math. l. 1. f. 3. pr. xi.

q Supplēm. Phys. n. 107. & 133.

28 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

posita excentricitate nulla in omnibus convenire docent Geometrae.

s. XXIII. Paucula itaque haec, quae praemittenda erant necessario, de viribus centralibus commentatus transeo ad demonstrandum necessario sequi ex legibus naturae, quod planetarum orbitae figura sua sint Ellipticae. Quod ut fiat, dico primum *Planetas in Solem graves esse & vicissim Solem in planetas.* Quando dico planetas in Solem graves esse, inteligo dari vim quandam centripetam, qua illi ad Solem, ut motus sui centrum, tendere conantur, sive vis illa sit impactus materiae fluidae planetas Solem versus adigens, sive sit facultas in Solis corpore haerens & planetas quasi ad se attrahens, sive alio quoque operetur modo, quod hic in praesenti discutere non juvat, cum mihi pro hocce negotio sufficiat dari revera talem vim, quaecunque ejus causa fuerit: Demonstravimus supra (§. 20.) corpus, quod movetur in linea curva & describit areas circa punctum quoddam temporibus proportionales, a recta linea detorqueri, & urgeri vi tendente ad id punctum, sed insuper vidimus (§. 14.) constare ex observatis Keplerianis planetas in motu suo circa Solem describere areas, lineis ad Solem ductis, temporibus proportionales, sequitur ergo, quod planetae urgeantur vi tendente ad Solem, id est, quod in Solem graves sint: Cum autem ex observata ubique & egregie a Newtono ^r & Hermanno ^s confirmata, quin hodie tantum non ab omnibus assumta Philosophia naturae lege, actioni aequalis & contraria sit reactio, hinc necesse est, ut, si conentur planetae ad Solem accedere, Sol vicissim planetas versus tendere conetur, hoc est, Sol in planetas gravis sit Q. E. D. Quemadmodum autem hi planetae in Solem gravitant, ita sine dubio ipsis in se mutui graves sunt, quod variae in motibus irregularitates ex hoc fundamento satis explicandae docere videntur, sed cum hoc proprie extra dissertationis nostrae scopum sit, verbulo tantum monuisse sufficiat; Planetarum vero in Solem gravitationem

^r Princ. Phil. Math. p. 13.

^s Phoron. app. p. 378.

suo jam tempore subolsecit laudatus toties *Job. Keplerus*, qui in Sole quasi magnetismum quendam latere contendit, quo planetas ad se attrahat, non alio certe modo, quam quo hic in telluris viciniis magnes ferrum ad se allicit & vicissim ferrum magnetem; sic enim ait^t; *Et ut e magnete virtus ferri attractiva orbiculariter spargitur, ita ut certum obtineat orbem, intra quem constitutum ferrum allicitur, fortius tamen, si ferrum proprius intra complexum illius orbis veniat, ad eundem plane modum virtus planetas movens ex Sole propagatur in orbem, & partibus remotioribus illius orbis est imbecillior.*

§. XXIV. Quod autem modo de gravitate primariorum in Solem diximus, idem penitus de secundariis verum est: Hi enim & in Solem & in ipsos primarios gravitant; Cum enim circa primarios suos describant areas lineis ad primarios ductis temporibus proportionales, necesse est, ut urgeantur vi tendente ad primarios; hinc & ob actioni aequalem reactionem ipsi primarii in satellites suos gravitant; sed & secundarii in ipsum Solem graves sunt, cum enim motu communi cum primariis circa Solem ferantur, sequitur, quod eadem vis, quae in primarios agit, agat quoque in secundarios, & hinc ad easdem cum primariis a Sole distantias eadem cum celeritate Solem versus feruntur (§. 25.); Haec etiam gravitas secundariorum tam in Solem quam in primarios confirmatur ex irregularitatibus Lunae in motu suo, quae, licet nobis insensibles, procul dubio tamen in reliquis obtinent, quaeque posita hac Satellitum versus Solem gravitatione haud infelicitate explicantur; Patet ergo planetas secundarios tam in Solem quam in primarios gravitare, consequenter & Solem & primarios in secundarios.

§. XXV. Haec, quam modo (§. 23, 24.) adstruximus, gravitas ejus est naturae, ut sit materiae quantitati proportionalis; quod ut ostendamus, notandum est hanc propositionem demonstrari, si probetur, corpora inaequalia ad eandem a Sole distantiam eadem Solem versus velocitate ferri; Hoc enim si obtinet, sequitur, quod actiones gravitatis sint, ut

D 3

ipsa

^t *Comm. de mot. stel. martis c. 34. p. 176.*

30 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

ipsa corpora, id est, ut quantitates materiae; Si enim corpora inaequalia, aequa tamen a puncto quodam distantia, aequali celeritate versus illud punctum ferantur, actiones in ea corpora inter se differunt, & quidem prout ipsa corpora inter se differunt; Namque ut magnae molis corpus aequa celeriter moveas ac parvae molis, necessario (tolio hic omnes resistentias, quae alias hanc regulam mutare possunt) tanto plus in magnum illud corpus agere debes praccise, quantum est majoris molis corporis supra alterum, quod minoris est molis, excessus; Hoc vero perfecte in systemate planetario obtinet; Observatum enim est, orbitas Satellitum Jovialium ipsi Jovi esse tantum non concentricas, utique differentiam esse insensibilem; Si jam ad eandem a Sole distantiam Satellos Jovialis ipso Jove vel magis vel minus gravis esset tantum vel millesima totius gravitatis parte, certe sensibilis valde foret orbitae satellitis excentricitas, cum tamen, ut dixi, Jovi fere sit concentrica; foret enim tum distantia centri orbitae satellitis a Sole major vel minor, quam distantia Jovis a Sole $\frac{1}{200}$ distantiae totius, prout se computum iniisse testatur *Newtonus*; quod cum non obtineat, sequitur, quod gravitates acceleratrices Jovis & Satellitum ad eandem a Sole distantiam sint aequales, adeoque quod gravitas materiae quantitati sit proportionalis: idem de Saturno & Satellibus, nec dissimilia de tellure & Luna dicenda sunt; scio quidem hoc effatum ad reliquos planetas non nisi per inductionem vel analogiam posse transferri; sed & id scio, posse hoc fieri satis tuto; cum enim effectuum naturalium ejusdem generis eadem sint causae (respiratio v. g. motusque animalis in reliquis animantibus, iis scilicet, quae similibus organis instructa sunt, easdem habet causas, quas in homine) cumque tendentia ad Solem reliquorum planetarum sit ejusdem generis ac Jovis & Satellitum, sequitur quod hujus causa eadem sit, easdemque habeat proprietates, consequenter ratum stat firmumque gravitatem materiae quantitati esse proportionalem. Q. E. D.

§. XXVI.

v Princ. Phil. Math. l. 3. pr. 6. p. 410.

§. XXVI. Potest haec eadem (§. 25.) propositio demonstrari ex analogia, quam in teluris superficie observamus; Vis enim, qua corpora versus telluris centrum pelluntur, materiae quantitati proportionalis esse deprehenditur. Pluma quippe levissima, aequa ac aurum omnium corporum ponderosissimum ad easdem a tellure distantias eadem tellurem versus celeritate feruntur, ablata scilicet aeris resistentia ^x, qui si adsit, motum valde retardare & quidem inaequaliter potest; qua de re vide *Ricciolum* ^y; Pendula aequa longa aequali numero vibrationes suas peragunt, nec refert, utrum magnae an parvae molis corpus sit appensum ^z; simili Experimento idem confirmat *Newtonus* ^a; Haec itaque lex cum obtineat in telluris viciniis, quidni idem de corporibus coelestibus liceret affirmare? quod quidem fieri longe tutius, si probari possit esse eandem vim, quae corpora terrestria versus centrum telluris adgit, ac est illa, quae coelestia corpora in orbitis suis retinet; Hoc autem quoad Lunam revera factum est; Demonstravit enim Illust. *Newtonus* ^b, (quae demonstratio innititur iis, quae sequenti articulo dicemus) quod Luna eadem vi, qua retinetur in orbita sua, in telluris viciniis spatio unius minuti secundi percurret paulo plus quam 15 pedes Gallicos; Jam vero Nobilissimus *Hugenius* ^c invenit, quod corpora hic in telluris superficie ex alto demissa spatio temporis eodem, unius videlicet secundi, tantundem spatii conficiant, unde probabile evadit, si non penitus certum, eandem esse vim, quae Lunam in orbita retinet, quam quae corpora in telluris viciniis versus centrum telluris propellit; Cum autem motus reliquorum planetarum in orbitis suis & ipsius

^x 's Gravesand. elem. Phys. n. 78.

^y Almag. nov. l. 2. c. 21. pr. 2, 3, 4. ubi haec verba addit: *Eant nunc, nescio qui semiempirici, & ex parva altitudine lapillos demissentes exiguum intervallum inter eorum istum seu percussionem pavimenti videntes jabett omnia corpora ex aequali altitudine ad idem pavimentum dimissa, ad illud eodem pervenire ad sensum tempore.*

^z 's Gravesand. elem. Phys. n. 160.

^a Princ. Phil. Math. l. 3. pr. 6. p. 408.

^b Princ. Phil. Math. l. 3. pr. 4. p. 406.

^c Horolog. oscill. part. 4. pr. 26.

32 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

ipsius Lunae in sua sint ejusdem generis, hinc & eadem erunt causae; adeoque recte inferre licebit, quod, quoniam gravitas prope tellurem materiae quantitati proportionalis comprehenditur, eadem quoque lex dubio procul in systemate corporum coelestium obtineat.

Ex iis, quae hoc & praeced. artic. diximus, patet, quod, cum corpora inaequalia aequa ac aequalia ad eandem a Sole distantiam in Solem aequa gravitent, gravitas sit vis centralis, quae positis distantiis aequalibus in corpora inaequalia eodem modo agat ac in aequalia, quod in demonstratione sequentis propositionis usu nobis veniet.

§. XXVII. Praeter demonstratam (§. 26.) gravitatis proprietatem, habet eadem gravitas aliud, idque summi quidem momenti attributum; est enim *ad inaequales distantias inverse ut quadratum distantiae*; Demonstravimus scilicet (§. 21.) quod, si vires centrales agant in corpora inaequalia eodem modo ac in aequalia, & si quadrata temporum periodicorum fuerint inter se, ut cubi distantiarum, vires centrales forent inverse ut sunt quadrata distantiarum, sive, quod idem est, decrecerent in ea ratione, in qua crescunt distantiarum quadrata; Demonstravimus itidem (§. 26.) &, ni fallor, demonstravimus solide, gravitatem materiae quantitati esse proportionalem, seu, quod idem est, gravitatem, quam vim centralem esse (§. 23.) adstruximus, positis distantiis aequalibus in corpora inaequalia eodem modo agere ac in aequalia; Nec minus firmiter ex observatis Keplerianis, & ab omnibus postea Astronomis confirmatis assumtisque Phaenomenis (§. 4.) ratum dedimus, planetas ea lege circa Solem volvi, ut quadrata temporum periodicorum cubis distantiarum sint reciproce proportionalia; sequitur itaque hanc gravitatem esse vim centralem, quae in corpora ad inaequales distantias posita agit inverse ut quadrata distantiarum. Q. E. D. Censet Ill. Newtonus & eandem propositionem demonstrari posse ex observationibus Streetianis: magno enim illi Anglo Astronomo Carolo Street debemus, quod nobis innotescat, Aphelia planeta-

rum

c Princ. Phil. Math. I. 3. pr. 2. p. m. 405.

rum non moveri, ut credidit antiquitas, sed revera quiescere; Hoc autem neutquam fieri posse censet Ill. *Newtonus*, nisi gravitas decrescat in ratione quadrata distantiarum; Si enim (sunt haec ipsa illustrissimi viri verba) vel minima aberratio a ratione duplicata foret, motum Apsidum in singulis revolutionibus notabilem, in pluribus enormem efficere debet; idem vero hocce de secundariis verum est, cum enim eorum tempora periodica sint inter se ut cubi distantiarum (§. 6.) cumque eorum gravitas materiae quantitati sit proportionalis (§. 25.) sequitur sponte hoc assertum respectu satellitum verum esse; Neque ulla ratio est, quominus eadem de Luna affirmemus, confirmante haec gravitatis cum ceteris analogia, & juxta *Newtonum*⁴ tardissimo Lunaris Apogaei motu.

§. XXVIII. His ita praemissis demonstranda restat celeberrima propositio, quod scil. *Planetae vi gravitatis Ellipsin describant*, cuius focorum alterum *Sol occupat*: Hoc autem ex demonstratis est evidentissimum; Namque pro demonstrato assumimus, quod si corpus circa punctum quodpiam revolvatur ea lege, ut vis centralis ad aequales distantias sit aequalis, ad inaequales vero a centro distantias sit inverse ut quadratum distantiae, corpus illud ex necessitate debet percurtere Ellipsin, cuius focorum alter cum centro virium coincidit (§. 22.). Demonstravimus quoque planetas circa Solem circumvolvi (idem verum est de satellitibus circa suos primarios) & quidem ea lege, ut vis centralis sive gravitas ad distantias aequales sit aequalis, ad diversas vero sit inverse ut quadratum distantiae (§. 27.); Sequitur ergo, quod planetae moveantur in Ellipsisibus, quarum focus alteruter cum centro virium id est cum Sole coincidit Q. E. D. quiique primarius erat nostrae hujus dissertationis scopus.

§. XXIX. Ut itaque motum Planetarum in lineis Ellipticis, ejusque continuationem explicemus, nihil certe aliud assumere necesse est, quam sapientissimum totius universi conditorem pro infinita, qua pollet, potentia, & adorando be-

E

ne-

d Princ. Phil. Math. l. 3. pr. 3. p. m. 405.

34 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA.

neplacito planetas primarios ad varias a Sole distantias, varia velocitate, varia etiam directione (hinc enim pender diversa orbitalium excentricitas) quasi projecisse per motum quendam rectilineum, simulque eam, quam ex Phaenomenis observamus, imposuisse legem, ut, quacunque id fiat de causa, quocunque in medio, sive mere vacuo, sive in vorticibus materiae fluidae, Solem versus tenderent vi, quae materiae quantitati foret proportionalis, quaeque ad inaequales distantias foret inversa ut quadratum distantiae; His enim positis omnia Phaenomena egregie explicantur; sequitur enim hinc juxta illa, quae (§. 18.) diximus, quod planetae circa Solem describere debeant areas lineis ad Solem ductis temporibus proportionales, id quod & ex observationibus Keplerianis constare (§. 14.) monuimus; Neque minus ex dictis evidens est, quod motus planetarum in Perihelio debeat esse velocissimus, in Aphelio vero tardissimus, perfecte, uti revera obtinere per observationes certo certius constat; vid. §. 8. & seqq. Namque demonstravimus (§. 19.) quod, si corpus circa centrum moveatur, & si inter movendum magis ad centrum accedat, in motu suo magis acceleretur, quo vero inde discedat magis, eo magis retardetur, jam vero planeta, ubi in orbita sua movetur & in Aphelio existit, a centro motus sui, id est, a Sole distat omnium maxime, in Perihelio vero omnium minime, hinc itaque debet motus ejus in Perihelio esse intensissimus, in Aphelio vero remissus valde; Quin & posita hac projectionis lege necessarium est, ut obtineat ratio, quam laudatum toties *Keplerum* obseruasse monuimus (§. 4.) scilicet, quod quadrata temporum periodorum inter se sint ut cubi distantiarum; hoc enim inde necessario sequi docet §. 21: tandem hinc deducitur, quod projecti hoc modo planetae posita hac vi gravitatis non possint non lineas Ellipticas describere, prout vidimus (§. 18.), nisi forte in quibusdam casibus Ellipsis haec abeat in reliquas sectiones Conicas Circulum puta, Parabolam aut Hyperbolam, quorum casuum prior forte in quibusdam planetarum primiorum satellitibus obtinet, posteriorem vero in Cometarym

tarum nonnullis locum habere non sine probabili ratione quidam suspicantur Astronomi.

Neque minus feliciter motus satellitum circa suos primarios explicare licebit, si posita hac gravitatis lege eos circa primarios ad varias distantias, varia velocitate, variaque directione projectos concipiamus; eadem enim est, quam de primariis dedimus, demonstratio, neque ulla inter horum corporum motus motusque primariorum intercedit differentia, nisi quod unico circa Solem motu gaudeant primarii, satellites vero duobus, quorum altero circa suos primarios gyrantur, altero autem communi cum primariis circa Solem circumvolvuntur; quod tantum abest, ut miremur aut absurdum esse censeamus, ut sane & pleraque hic in telluris viciniis corpora duplici utique ex duplice composito motu gaudeant; Notandum tamen est, quod proprius ille satellitum circa primarios motus mire mutetur a gravitate Solem versus, quae cum dicto motu nunc conspirat nunc vero penitus contrarie agit, ut variae irregularitates in motibus Lunae observandae abunde confirmant, sed nimia hujus rei dignitas pauca tantum proferre vetat.

§. XXX. Posuimus huc usque in tota nostrae dissertationis serie Planetas circa Solem in centro mundi quiescentem tanquam circa motus sui centrum gyros suos perficere, quod quidem, si summa exactitudine & rigore Mathematico loqui velimus, penitus verum non est; Non enim potest Soli perfecta quies adsignari, sed motu revera quopiam gaudet, qui quidem, licet nobis insensibilis, aliqualis tamen est; neque cuiusvis planetae motus centrum perfecte Sol dici potest; sed punctum inde aliquantulum distans, non tamen valde a superficie Solis remotum; Cum enim omnis gravitas sit reciproca & quidem materiae quantitati proportionalis (§. 25.) non potuit in prima projectione (§. 29.) Sol terram ad se attrahere quin & e contrario vicissim terra ad se Solem adliceret, idque in ratione quantitatis materiae in corpore attrahente, adeo ut gravitas seu tendentia terrae ad Solem se habuerit ad gravitatem Solis in terram, ut quantitas materiae in Sole ad

36 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

quantitatem materiae in tellure: unde patet, quod haec corpora tandem ad se mutua accedere debuissent necessario, nisi ita mota fuissent, ut utrumque habeat vim centrifugam aqualem illi vi, qua unum corpus ad alterum tendit, hoc est, vi centripetae; Hoc autem sit, si corpora haec moveantur circa commune gravitatis centrum; In eo enim casu & in eo quidem solo poterunt corpora haec motum suum circa se mutua conservare, prout & demonstrant & solidis experimentis confirmant Mechanici ^e; Cum itaque planeta motum suum circa Solem continuet, debebit motus ille fieri circa commune Solis & planetae gravitatis centrum; sed centrum illud parum admodum a Sole distat; namque eadem hic ratio obtinet, quae in vecte respectu hypomochlii, in statera Romana respectu puncti suspensionis; ut enim quantitas materiae in Sole se habet ad quantitatem materiae in planeta, ita reciproce se habet distantia centri planetae ab hoc punto ad distantiam centri Solis ab eodem punto; sed quantitas materiae in Sole longe exsuperat quantitatem materiae in quounque etiam planeta; sequitur ergo, punctum hoc longe vicinus fore Soli quam planetae, adeo ut ex calculo III. *Newtoni* ^f commune centrum gravitatis Solis & Jovis omnium planetarum maximi incidat fere in ipsam Solis superficiem; constat itaque quemlibet planetam pro centro motus sui habere non ipsum centrum Solis, sed punctum inde aliquantulum distans, adeo ut proprie loquendo pro centro mundi Sol haberri non possit, sed commune Solis & planetarum gravitatis centrum; Haec quidem differentia licet exacte loquendo revera obtineat, tamen, eo quod parva est, tuto potest negligi, praeterquam, quod respectu motus in lineis Ellipticis nihil referat, utrum haec differentia locum habeat, nec ne cum & corpora hoc modo circa commune gravitatis centrum revoluta debeant describere Ellipses similes illi, quam Planeta circa Solem quiescentem iisdem viribus describere posset *;

quod

^e 's Gravels. Phys. elem. Math. I. 1. c. 25. par. 235.

^f Princ. Phil. nat. Math. I. 3. pr. 12. p. 418.

* Whiston prael. Phys. Math. I. 17. pr. 28.

quod eum pro nostro negotio sufficiat, hisce non inhaeremus, neque immorabimur variis agitationibus in orbitis, quae planetis accident a mutua in se gravitate, notantes solummodo, nisi Solis motus hoc articulo demonstratus adesset, agitationes has longe magis fore sensibiles; verum hae minutiae Physicae, si ad unam excuterentur omnes, longe majorem exigerent dissertationem; sufficit itaque nobis & a posteriori ex observationibus Keplerianis, & a priori ex causis Physicis, quatenus certo cognitae sunt, Newtoniana evicisse methodo PLANETARUM MOTUM IN ORBITIS ELLIPTICIS fieri, quod demonstrandum adsumseramus.

§. XXXI. Sic itaque possim huic dissertationi finem imponere & imponerem, nisi haud ita pridem duo in primis Philosophi Newtonianam hanc motum Planetarum explicandi methodum valide impugnassent, & tantum non funditus evertere conati fuissent; quorum quidem praecipua argumenta recensebimus, & quantum fieri potest modeste refutare conabimur, non tamen omnia adducturi, quippe quae si considerarentur longius, quam par est, excresceret haec nostra dissertatione; Primus, qui adversus hanc de vi centrifuga, qua planeta per tangentem a curva recedere conatur, & de vi centripeta gravitate scil. Solem versus, qua in orbita retinetur, lententiam insurrexit nuper, est Ultrajectinus ille Philosophus *Nicolaus Hartzoeker* vir certe de re Physica & Dioptrica in primis haud parum meritus, quem non ita pridem fatis cessisse haud sine rei Philosophicae detimento dolent Physici; Hic Newtonianam hanc sententiam aggressus fuit variis argumentis in literis ad virum Clarissimum *Job. Clericum* datis, quae extant in parvo libello, cui titulus est, *Recueil de plusieurs pieces de Physique ou l'on fait voir principalement l'invalidite du systeme de Mr. Newton &c. par Nicolas Hartzoeker*. Non quidem omnes ejus objectiones memorabimus, cum plerisque id agere videatur, ut motum corporum coelestium posita hac gravitate in vacuo absque materia fluida impossibilem demonstret; sed cum haec nos non tangant,

E 3

quip-

g Newton. Princ. Phil. nat. l. 1. pr. 66. corol. 1.

quippe qui causam gravitatis discutere nos nolle jam ante diximus, hisce non inhaerebimus, unum in primis argumentum spectaturi, quo probare se contendit, vi hac centrifuga & centripeta eo, quo nos cum Newtono explicuimus, modo planetas Ellipses non posse percurrere, utique in motu suo non posse continuari; Putat enim p. 11. & 12. necessarium esse, ut planetae, si hoc modo circa Solem volverentur, brevi vi gravitatis usque ad ipsum Solem attraherentur; cum enim continuo quid perdant de vi centrifuga necessario vim centripetam eos Solem versus adigere debere contendit; Sic enim p. 13. ait; *& par consequent, comme dans le systeme de M^r. Newton la force, par la quelle les planetes tendent a aller en ligne droite, & a se eloigner continuallement du soleil est l'antagoniste de celle, par laquelle cet astre les attire a lui, & les oblige a s'en tenir a une certaine distance; il est evident, que puisque le premier de ces deux antagoniste devroit toujours perdre quelque chose de sa force, pendant que l'autre conserveroit la sienne toute entiere; ce dernier devroit obligier les Planetes de venir jusqu'a lui, & meme avec une acceleration continue de mouvement, & qu'ainsi elles devroient etre tirees jusques dans le soleil.* Hoc argumentum magis urget vir doctissimus, quin tantum non intolabile pronunciat p. 78. & 79. respectu motus Cometarum, qui, saltem eorum quidam, cum moveantur in orbita planetarum orbitis in eo tantum diversis, quod sint magis excentricae, hinc poterunt ea, quae de Cometis dixit, ad ipsos planetas applicari, prout ipse autor facit p. 82; Sit itaque (Fig. III.) S locus Solis, L K H I A orbita Cometae vel & Planetae cujuscunque valde excentrica; His positis & profert aduersus Newtonianam sententiam argumenta, quorum quartuor priora nostrum in primis spectant negotium; 1^o. Si dicto modo, scilicet per vim centrifugam & centripetam, fieret motus planetarum cometarumque, quidni cometa, ubi in vicinia Solis existit, scilicet in puncto I ad Solem trahitur, sed quae ratio est, quare continuo a Sole discedat magis, idque per lineam fere rectam, &, ut sic dicamus, in quibusdam Cometis fere infinitam, a puncto scilicet I

ad

ad K; 2º. Cur ubi cometa pervenit ad punctum K ad im-
mensam in quibusdam sideribus distantiam a Sole, ubi gravi-
tas omnium minima est, quippe quae decrescit in ratione
quadrata distantiarum secundum Newtonum, iubito quasi uno
ictu viam suam inflectit, cum potius videatur eam debere
continuare per lineam rectam; aut potius cur Sol eo loci pla-
netam non trahit directe versus centrum; 3º. quae ratio est,
cur Sol Cometam, ubi ad punctum L pervenit, non trahat
ad se per lineam rectam v. g. LS, sed cur patitur, ut perget
per LH in orbitis valde excentricis fere parallelam lineae
LS; 4º. denique cur Cometa, ubi ad punctum H pervenit,
unico ictu percurrit lineam curvam HAI, cum videatur de-
bere viam suam continuare per lineam rectam, ut faciebat in
B, quo in loco nulla ad id faciendum ratio potior esse videa-
tur, quam in punto H: 5º. profert argumentum, quod di-
rectionem caudae Cometarum in primis spectat. En! B. L.
hae sunt primariae Hartzoekeri objectiones, quae sane primum
intuenti haud parvi momenti apparere possint; & sane, ut
dicam, quod res est, initio me haud parum sollicitum tene-
bant; at vero proprius rem consideranti, non adeo difficultia
solutu videntur: Quod ut demonstremus, notari volo, Ce-
leberrimi Hartzoekeri difficultates revera fore penitus insolu-
biles, si quidem planeta ubique eandem haberet velocitatem;
sed demonstravimus (§. 19) corpus, quod circa centrum
circumvolvit, quo in motu suo ad centrum accedit magis,
eo magis in motu suo accelerari, retardari vero eo plus, quo
inde recedit magis; Quibus positis ad primam objectionem
adfero eandem, quam sibi allatum iri praevidet, & admitte-
re videtur vir clarissimus, responsionem, cum ipse dicit, mo-
tum acquisitum Cometae in punto L esse adeo violentum,
ut Sol planetam ad se trahere ineptus sit, utcunque gravitas
ibidem magna valde sit; Hoc autem motu acquisito adeo vio-
lento fit, ut planeta continuo per lineam fere rectam, (quo
enim orbita magis est excentrica eo linea haec ad rectam ac-
cedit magis) progrediatur, ita tamen ut, juxta §. 19. in
recessu a centro velocitas ejus continuo imminuat, donec
tan-

40 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

tandem in puncto K gravitas, etsi valde imminuta, quippe
quae decrescit in ratione quadrata distantiarum, motui acqui-
sito tamen praepollens ita planetae directionem immutet, ut
necessario ad Solem accedens proprius viam suam inflectat, adeo
ut necessum non sit, imo penitus contradictorium, planetam
in puncto K viam suam continuaturum esse per lineam rec-
tam; neque tamen Sol planetam cometavve directe versus
centrum debet trahere, ut fieri debere censem *Hartzoekeru*s,
propterea, quod in puncto K velocitas etsi valde imminuta
& gravitate minor, tamen non omnino nulla nec in totum
sublata est; Hoc enim si foret, certo certius Sol planetam
directe versus centrum suum traheret; & hoc pacto videtur
alteri *Hartzoekarianae* objectioni satisfieri; Neque id precastio
a nobis dictum quispiam existimet; praeterquam enim, quod
innitatur iis, quae (§. 19.) diximus & demonstravimus, fa-
ventem quoque habet experientiam, quatenus illa in obscuro
hoc negotio certi quidpiam docere potest; In illis namque
casibus, in quibus gravitas in recessu a centro motu acqui-
sito semper minor manet, eique praepolleat nunquam, via
quoque sideris nunquam inflectitur, sed pergit in motu suo
per lineas fere rectas, tumque non Ellipsin describit, aliam-
ve in se redeuntem curvam, sed parabolam vel hyperbolam,
quod certe in quibusdam Cometicis obtinere neutiquam impro-
babile est; Huc quoque referantur, quae diximus (§. 22).
Tertiam vero quod spectat *Hartzoekeri* objectionem, neque
sane illa difficulter solvitur; cum enim planeta ad L perve-
nit, non potest a Sole per lineam rectam LS attrahi, eo quod
jam ipsi Soli vicinior factus, quam in summo Aphelio cele-
ritatem quoque majorem quam ibidem loci acquisiverit, jam-
que iterum gravitati quasi praepollentem; at vero dum haec
celeritas in accessu ad centrum augetur, interea & gravitas
augeri incipit, hinc impeditur planeta longius a Sole excur-
rere, & cogitur per lineam AL ipsi LS, ut ait *Hartzoekeri*, fere paralelam descendere, cum revera planeta per li-
neam LS descendisset, si in puncto L penitus evanisset
omnis motus acquisitus. Ut vero quartum argumentum di-

luatur, dico, quod, dum planeta per lineam LH descendit, incipiat simul & velocitas & in Solem gravitas augeri, quae gravitas valde increscens velocitate, licet & illa valde augeatur, major tandem necessario planetam in H magis ad se trahere incipit, & in A omnium maxime attrahet, quin & attraheret omnino, nisi motus acquisitus adeo violentus foret, ut planetam cogeret per AI adscendere, ubi gravitas iterum incipit minui, & eo, quo explicuimus, modo rursum planeta orbitam suam percurrit, & percurret tamdiu, donec, has qui impressit vires, adorandus conditor easdem ab his corporibus pro infinita nobisque suspicienda voluntate auferet. En! itaque, qua potui & brevitate & evidentia, argumenta haec Hartzoekeriana proposita, &, nisi fallar, refutata; unde patet, virum doctissimum haud adeo vere iudicasse^h, regularem hunc, & qui jam a tot seculis duravit, motum ex sententia Newtoniana per 2 vires contrarie agentes centrifugam scilicet & centripetam explicari posse nunquam.

§. XXXII. Alter, qui hancce Newtoni sententiam variis difficultatibus scatere contendit, est R. P. Castellus Soc. Jesu membrum, qui in pulcro de gravitate tractatu (*traite de la pesanteur &c. 2 voll. 8°.*) eas non tam contradicendi prurigine, quam sincero veritatis indagandae amore ductus proponebit: Ad hujus libri finem varia, quae Newtoni opponi possent, recentet argumenta, quae quidem leviter tantum perstringemus, quandoquidem ut discussiantur penitus, longior requiratur dissertatio: Et primum quidem t. 2. p. 487. §. 1. invadit Newtonianam de Lunae gravitate demonstrationemⁱ, quam nos ab ipso probatam supposuimus (§. 26.): Hanc autem ut demonstret Newtonus, dicit Castellus eandem jam ab ipso supponi in ipsa illa propositione, cum dicit, Lunam tellurem versus debere cadere, si vis eam in orbita retinens abeffet, his verbis; *Si Luna motu omni privari fingatur ac demitti, ut urgente vi omni, qua retinetur in orbita, descendat in terram;*

F

^h Dicto libello p. 82.ⁱ Princ. Phil. nat. part. 3. prop. 4.

42 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

ram; sic enim ait *Castellus* p. 492: *On veut voir, si la Lune pese, & on commence par supposer, qu'elle tombe, mais des, que la pierre est tombé, on sait, qu'elle est pesante: & paulo post addit; il est donc constant, que M. Newton suppose, ce qui est en question, & qu'il demonstre nullement la pesanteur de la Lune.* Ad quam objectionem respondeo, minime vero Lunae gravitatem ab Ill. Newtono in his verbis supponi; Non enim Ill. viri scopus videtur, ut in hac propositione demonstret gravitatem Lunae, seu tendentiam versus tellurem, sed ut demonstret, vim illam, qua Luna versus tellurem tendere conatur, hoc est, gravitatem, antea jam assertam, esse ejusdem naturae cum tendentia corporum terrestrium versus centrum telluris, quam hic vocamus gravitatem, adeoque illam Lunae vim summo jure dici gravitatem: Dari autem revera talem vim, qua Luna versus tellurem tendere conatur, jam praecedenti propositione demonstraverat, & nos cum eo demonstravimus exinde, quod Luna circa Tellurem circumvoluta describat areas temporibus proportionales; Cum itaque talem vim dari jam actu demonstraverit, certe merito ipsi eandem adsumere licet, ut novam ejus proprietatem, analogiam scilicet cum gravitate corporum terrestrium, detegat. Porro §. 3. invadit *Newtoni* sententiam, qua statuit, gravitatem materiae quantitatem esse proportionalem, quam, licet sensuum testimonio firmatam, inde praeprimis rejicere videatur, quod legibus Mechanicis penitus aduersetur; sed certe veritas, quae per experimenta & phaenomena comprobata est, non ideo deferenda est, quia nobis legibus Mechanicis repugnare videtur; Quid enim? Fortasse posteri hanc propositionem per leges Mechanicas explicare poterunt, quod nos possumus nondum; Exemplo sit summus ille *H. Morus* qui principium suum Hylarchicum in auxilium vocare coactus fuit, ex eo quod mirum illud de ligneo operculo in vase aqua pleno ex inferiori fundo ad supremam superficiem sponte adscendente Phaenomenon, pluraque Hydraulicæ experimenta per Mechanics regulas suo tempore explicare non poterat, quod tamen hodiecum fit quam felicissime, adeo ut, quod

quod nobis per leges Mechanicas inexplicabile videtur, pro penitus inexplicabili habere Philosophi non sit; verissime enim de cometis vaticinatus est magnus *Seneca*^k (quod & ad nostrum negotium transferre forte haud incongrue liceat) *veniet tempus, quo ista, quae nunc latent, in lucem dies extrahet* & longioris aevi diligentia; *veniet tempus, quo posteri nostri tam aperta nos nescisse mirentur!* Praeterquam quod & plura alia sint phaenomena, quae videntur per leges Mechanicas penitus insolubilia, adeo ut inter omnes omnino Philosophos nondum conveniat, an quidem omnia naturae effecta per eas, utique per eas solas explicari debeant. Quarta paragraphus aliam continet objectionem adversus scilicet continuationem motus planetarum in orbitis suis; censet enim *Castellus*, quod, si gravitas explicita ratione foret causa continuati motus planetarum in orbitis, lapis aliudve grave corpus projectum non deberet in terram decidere, sed ex iisdem causis, viribus scilicet centrifuga & centripeta, motum suum planetarum instar circa tellurem necessario continuaret, quod cum non fiat, patet, hunc planetarum motum gravitati neutiquam esse adscribendum; verum ad haec respondeo, quod, si tanta motus velocitas lapidi possit imprimi, aut ex altissimo supra tellurem loco projici, ita ut gravitate decidens caderet ultra superficie terrestris terminos, sive ultra telluris diametrum, revera motum suum continuaret, ellipsis describeret, & lapideus generaretur planeta; sed cum nos non possimus lapidem adeo violente projicere, quin gravitas eum adigat in telluris superficiem, certe mirum non est, quod in tellurem decidat, neque motum suum continuet; E quibus patet, quod, si concipiamus totam quantitatem materiae in tellure esse coactam in spatum minimum v. g. *Physicum punctum*, tum vel minimus motus impressus lapidem circa tellurem ellipsis describere cogeret, quae pro majori minorive motus communicatione, variaque, unde projicitur lapis, altitudine differret admodum tam quoad situm quam quoad excentricitatem; Nec minus ex his evidens est, quod si telluris massa

F 2

ita

^k *Quaest. nat.* I. 7. c. 25.

44 DISSERTATIO ASTRONOMICO-PHYSICA

ita expanderetur, ut non adeo longe a Luna distaret, ipsa Luna motum suum non continuaret, sed per eandem, cuius ope nunc moveri pergit, causam lapidis instar in terram decideret; idem de reliquis planetis quoad satellites suos, de Sole respectu omnium planetarum verum esse, facile perceperis; vide pulcre totum hoc negotium explicantem *Gregorium* in excellentissimo de Astronomia Physica tractatu¹; Porro in fine artic. 4. tantum non eandem proponit difficultatem, quam *Hartzoeker*, hinc responsio ex iis, quae (§. 31.) dicta sunt, peti potest. Quas deinde §. 6. & 7. adfert contra *Gregorium* objectiones, in primis spectant motum lapidis, ejusque gyrationem circa tellurem, quam certis in casibus possibilem imo & necessariam cum eodem *Gregorio* modo defendimus; sed facile hae eluuntur omnes, modo consideremus, corporis in gyrum acti velocitatem in accessu prope centrum augeri, diminui vero remote inde; Hoc autem distinguere, quam utile sit & necessarium vel exinde patet, quod, qui hanc negligit considerationem, insolubiles in sententia *Newtoniana* comperiat difficultates, quae tamen posita hac celeritatis variatione solvuntur facile, unde nec mirum est, quod hic loci iterum exclamat *Castellus* impossibile esse, ut ex systemate Newtoniano explicetur, quo pacto Luna in Perigaeo, ubi gravitas in tellurem maxima est, terram versus non trahatur, sed in orbita motum suum continuet, quod tamen ex iis, quae ad *Hartzoekiana* reposuimus argumenta, haud difficulter fit.

§. XXXIII. Quaecunque de motu planetarum diximus, eo in primis nituntur fundamento, quod, si corpus circa punctum in linea curva moveatur, ita ut describat areas lineis ad id punctum ductis temporibus proportionales, punctum illud ut centrum motus illius corporis, seu versus quod dirigitur gravitas, considerari beat; quam propositionem (§. 20.) a nobis demonstratam evertere conatur *Castellus* artic. 9.; quod si praestare posset, sane rueret *Philosophia Newtoniana*, cum que ea nostra motus planetarum explicandi methodus; Hoc autem.

¹ L. I. pt. 48. Schol. p. 58. ed. Oxon.

autem sequenti argumento efficere tentat; Si corpus motum circa punctum, ita ut describat areas temporibus proportionales, eandem legem, uniformem scilicet arearum descriptionem, servet respectu omnium punctorum in orbita constitutorum, sequitur, quod punctum id motus centrum dici non possit, alias namque corpus id infinita motus sui centra haberet; Quod est absurdum; Ut hoc juxta illum demonstretur, ponatur (Fig. V.) moveri corpus circa S ita, ut describat areas ABS, BSc temporibus proportionales, idem corpus circa punctum T describet itidem areas temporibus proportionales; fiat enim eadem circa T, quam circa S. (§§. 18. & 19.) dedimus, constructio, eritque area TBR = ATB; sed certe non satis feliciter argumentatur *Castellus*; Quis enim non videt, sequi hinc, quod idem corpus eodem momento duobus diversis in locis existere deberet; Q. E. A. in tempore enim, quo percurritur AB, percurreretur BC, nisi vis centralis corpus interea pelleret per Cc; hinc eodem tempore, quo AB, percurritur Bc, sed ex auctoris hypothesi tempore, quo percurritur AB, percurreretur BC nisi vis centralis corpus interea pelleret per CR; hinc percurritur BR; percurritur ergo BR eodem tempore, quo AB; sed eodem tempore, quo AB, percurritur Bc; hinc BR & Bc eodem tempore percurruntur; ergo unum idemque corpus in fine ejusdem momenti existit in c & R duabus diversis in locis Q. E. A. corpus itaque describit areas temporibus proportionales tantum respectu unius puncti, quod motus ejus centrum est, & ad quod vis centripeta dirigitur: Stat itaque Newtoniana sententia, quae stante hypothesi *Castelliana rueret*, planetas primarios radiis ad tellurem ductis areas describere temporibus minime proportionales, at radiis ad Solem ductis temporibus proportionales percurrere m; Addit tandem aliud argumentum, quo operi suo finem imponit, quoque probare annititur, arearum illam descriptionem uniformem exspectandam esse a motu simplicissimo & minime centripeto, adeo ut, si corpus per lineam rectam moveatur, ita ut

F 3.

acqua-

m Princ. Phil. math. l. 3. hyp. 8.

aequalibus temporibus aequalia spatia conficiat, areae, quas describit, futurae sint aequales & consequenter temporibus proportionales, neque tamen, corpus illud vi centripeta versus punctum ferri, dici possit. Verum hoc *Newtonum* neque nos tangit; non enim scopus noster fuit demonstrare, omne corpus, quod describit areas temporibus proportionales, vi centripeta versus aliquod punctum ferri, sed tantummodo, corpus, quod circa punctum circumgyratur, ita ut describat areas temporibus proportionales, urgeri vi tendente ad id punctum, quod hoc *Castelli* argumento minime evertitur.

E R R A T U M.

P. 4. l. 6. ab ult. Ex hoc (§. 3) motu l. Praeter hunc (§. 3) motum.

F I N I S.

A N N E X A.

- I. *Dubitatio universalis uti ad Philosophandum, sic & ad convincendos Scepticos optimam sternit viam.*
- II. *Hinc non tantum non impia, sed valde utilis est.*
- III. *Hanc viam ingresso mens corpore prius cognoscitur.*
- IV. *Imo & certius.*
- V. *Quae quidem humana mens recte definitur substantia cogitans.*
- VI. *Summi numinis existentia cum ex idea ejus, tum ex mundo adspectabili demonstratur evidentissime.*
- VII. *Mens humana non mouet corpus humanum.*
- VIII. *Neque motum ejus determinat.*
- IX. *Qua autem diversae adeo hae substantiae in se agant, rationes latet.*
- X. *Materia est in infinitum divisibilis.*
- XI. *Nec implicat actu esse in infinitum divisam.*
- XII. *Ruit ergo Atomorum existentia.*
- XIII. *Infinitum infinito majus, quin & infinitos infiniti gradus agnoscimus.*
- XIV. *Durities corporum in quiete particularum non sita est.*
- XV. *Colores non magis sunt in corporibus coloratis, quam dolor in acu pungente.*
- XVI. *Hos producunt Solis radii varie colorati.*
- XVII. *Utraque sententia, tam quae statuit, Solem particulas lucidas ex se emittere, quam quae censem, materiam globosam propellere, variis premitur difficultatibus.*
- XVIII. *Neque penitus certa est, quae, utrum caloris & luminis eadem sit materia nec ne, determinat.*
- XIX. *Quamvis validiora videantur experimenta, quae pro negativa militant.*
- XX. *Neque ex observationibus constat, utrum propagatio lucis sit successiva an instantanea.*

F I N I S.







